

A. Ω.

# ACCEPTILATIO

SOCINIANA IMPRIMIS,

INJURIA IN

MERITUM, & SATISFACTIO-

NEM CHRISTI,

Jussu Plurimum Reverendæ & Am-

plissim. Facultat. Theologicæ

LIPSIENSIS

producta & enervata

MATTHIA ZIMMERMANNNO,

Epperiesino Ungaro, S S. Theolog. Licenciato,

Pastore, Superintendente ac ingenuæ Misen.

Basilicæ Concionatore.

In ipsa SOLENNI DOCTORALI

RENUNCIATIONE,

cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> LXVI. XXIV. April.

Coll. diss. A  
240, 44

LIPSIÆ

Typis Viduæ Henningi Coleri.

*Diss. A. 240 (44).*

*90.*

~~LXXVIIII~~

# AVITA

PIETATE, FIDE IN DEUM ET  
PRINCIPEM GENERE, NOBILITATE, VIR-  
TUTE, LITERATURA, RERUMQ; TUM DOMI TUM  
FORIS GERVNDARVM PERITIA, DEXTERITATE,  
EXCELLENTISSIMIS

DN. HERMANNO á Wolff

Xamedorff / Hereditario in Köseritz & Porschendorff/  
SERENISS. ELECT. SAXON. Supremo Camerario,  
à Consiliis intimis, Supremo item Circuli Lipsiens. ut &  
Rochliz. Coldiz. Leisnicens. Præfecturarum  
CAPITANEO.

DN. HAUBOLDO á MILTIZ,

Hereditario in Scharffenberg / Pegenau & Keppenitz/  
SERENISS. ELECT. SAXON. Consiliario Camerae, Co-  
m iti, & Misenenf. Circuli CAPITANEO  
supremo,



LIPSIÆ

Typis Viduae Henningi & Coler

DN. HEINRICO GEBHARDO

à MILTIZ,

Hereditario in Purkersdorff/Schönbach & Rosswalda/

SERENISS. ELECT. SAXON. ab Aulici & Ap-  
pellat. Consiliis.

DN. DIETERICO à MILTIZ,

Hereditario in Oberau & Niederau/Scholæ Illustr.

Misen. Inspector,

DN. JOHANN. DIETERICO

à MILTIZ,

Hereditario in Siebeneichen & Korbitz/te.

*PATRONIS, PROMOTORIBUS, COMPATRI,*

*à Duce vitæ CHRISTO invictissimo*

Paschale gaudium & perennem felicitatem devotâ mente O. V.  
devinctissimus virtutum eorum cultor

*MATTHIAS ZIMMERMANNUS, S.S. Theol. Lic.*

*Pastor & Superintend. Misen.*

**A**CCEPTILATIONEM SOCINIANAM, inju-  
riam in meritum, & Satisfactionem CHRISTI, de-  
testatur praesens scriptum, cui (ut quidem certissi-  
mè mihi persuasum habeo) promptissimi clarissima Vestra  
commodastis Nomina. Cum autem hoc sit minimissima  
quaedam, veriùs dixerim, nulla exsolutio nominis apud Vos  
contracti; quod duos, ne dicam quing, meatus uno fonte  
replere, difficile sit, abundè hic foetus, unà & parens usur-  
pabunt letitiam, si viâ Acceptilationis, nomen juxta & fi-  
dem liberare licuerit. Respicite ergo VIRI SUMMI,  
placido ore VOBIS deferentes, & in immensum gaude-  
bunt fortunas suas crevisse. Servet Vos Deus, sed &  
Familias Vestras Splendidissimas!

*Durate! & vosmet rebus servate secundis.*

Scribeb. Misena 1666.

22. April.

MATTHIAS SIMMERMANUS, 2. Theol. Lic.

Pastor & Superintendent. Misena.



I. N. J. A!

SECTIO. I.

Dignitatem SATISFACTIONIS

CHRISTI, & Hæreticos eam negantes, vel quovis modo elevantes ostendit.

§. I.



SATISFACTIO CHRISTI, omnis *HERETICÆ ACCEPTILATIONIS* expers, *NECESSARIA, VERA, SUFFICIENTISSIMA, PERFECTISSIMA* reverenter audit in Scriptura S. Veneranda & Orthodoxa Antiquitate, et sic orthodoxia Christiana, ita ut nulli dubitent, *eam proram ac puppim salutis nostræ.* (ringatur licet *Ostorod. Judic. contr. Tradel. P. 3. p. 208*) constituere. *Rom. IV. 25.*

Christus traditus est propter peccata nostra, & excitatus est propter justificationem nostram, *cap. X 9.* Si credideris in corde tuo Dominum Jesum, quod illum DEUS suscitavit è mortuis, salvus eris. *Christus* ipse in testamentaria sua dispositione *Matth. XXVI. 28.* hic est Sangvis &c. ubi autem remissio peccatorum, ibi vita, & salus. *Ebr. V 9.* dicitur Christus passione sua omnibus credentibus *ἀλλος σωτηρίας αἰώνης.* Pluribus testimoniis Scripturæ, hoc inferius probabitur.

§. II. IGNATIUS seculi I. præcipitantis Pater, (qui discipu-

A

scipu-

scipulus *Johannis Evangelistæ*, perhibetur, à Magno nostro *Chemnitio in Consil. de Lectione Pp. p. m. 343.* quemve *Nicephorus Callistus l. 2. c. 35. H. E.* tradidit *θεοληπτον καὶ θεοφόρον i. e.* Numine afflatum, Deumque portantem, & illum ipsum puellum tenellum, quem *Christus Matth. 18.* tanquam simplicem & integrum, manibus suis sublatum, exhibuit, atque simplicitatem, & integritatem, commendare & ostendere volens: *Nisi ei similes fierent &c.* Unde hoc acceperit *Nicephorus* posterius scil. fatentur *Baronius ad ann. 17. n. 13. Spondan. n. 7.* se hactenus invenire non potuisse: praesertim cum *Jansenius* & ex eo *Cornelius à Lapide Comm. h l. p. 344.* ex alia traditione, *Martialem* fuisse, æquè tamen non satis certò referant) *Ignatius* inquam in *Epistola ad Smyrnenses* ordine quarta in *Cod. Nicol. Vedel.* (cujus *Epistolæ* ut & sex reliquarum ad *Trallianos* scil. ad *Magnesios*, ad *Philadelphenses*, ad *Smyrnenses*, ad *Ephesios*, ad *Romanos* magna semper in antiquitate *authoritas Chemnit. l. c. Vedel. Apol. pro Ignat. c. 23. Labbe de script. Eccl. P. 1. p. 500,* horum ultimus, pontificius, scriptor ingenuè fatetur, frustra nonnullos pro reliquis supposititiis hactenò pugnare ante aliquot annos aggressos esse, p. 502. Dolendum tamen quod ne hæ septem *Epistolæ integræ* atque *incorruptæ* ad nostram ætatem pervenerint, quod vel in hac *Epistola ad Smyrnenses* contra *Baronium* ostendit *Vedel. paulò post textum ad ducendum p. 168, 169. 170. mihi. p. 166.* Nemo, inquit, erret, nisi crederit *Jesum Christum* in carne conversatum *ἐν σαρκὶ πεπολιθῶσθαι καὶ ὁμολογήσῃ τὸ σταυρὸν αὐτοῦ καὶ τὸ πάθος καὶ αἷμα, ὃ ἐξέχεον ὑπὲρ ἡμῶν ἵνα κόσμος σωθῆται ἢ ἡσὺ ζωῆς αἰωνίου ἰεὺξέται,* crucem illius confessus fuerit, & passionem, & sanguinem quem effudit pro mundi salute, non assequetur vitam æternam, si ve rex fuerit, si ve Sacerdos, si ve Princeps, si ve privatus homo, si ve dominus si ve servus, si ve vir si ve foemina, qui capit capiat, qui audit audiat. Totum namque & præcipuum est *Fides in Deum, & spes in Christum, & fruitio eorum, quæ expectamus bonorum.* *IRENÆUS L. 2. c. 39.* Omnes venit per seipsum salvare omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes parvulos, pueros, Juvenes, seniores, *SYNODUS NICÆNA. I. anno 325. celebrat. hæc verba inseruit symbolo: qui propter nos homines, & propter nostram salutem; descendit de caelo, & incarnatus est de spiritu S. ex Maria Virgine, & ho-*

mo factus est, crucifixus etiam pro nobis. ATHANASIUS seculi IV. Pater ita orditur tractationem suam de humana natura suscepta ab unigenito verbo p. m. 529. *Tota & absoluta Christianismi perfectio in dictis humilibus & actibus invenitur.* Et adducit loca Paulina seqq. *Cognoscere gratiam Domini nostri Jesu Christi, cum dives esset, pauper factus est etc.* Unde alicubi idem Apostolus dicit: ut valeatis apprehendere Rursum dicit: Ne mihi contingat gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi crucifixi. *Et rursum: Decerno autem me nihil inter vos scire, nisi Jesu Christum eumque crucifixum p. 531.* Illius passio nostra impassibilitas, illius mors nostra immortalitas, illius fletus nostra lætitia, ejus sepultura nostra resurrectio, vide eundem ibi pluribus. *Et tract. de Incarnatione p. m. 546. hæc habet: Tota nativitas mortisque ratio, ad nostri requisitionem recuperationemq; spectat. De salutari adventu Christi adversus Apolinarium p. 557. ut salutis humanum negotium absolveret, passione, morte, resurrectione hominum redemptionem perfecit.* Lege omnino tractatus ejusdem Athanasii per elegantes de incarnatione verbi, de incarnatione Christi, de salutari adventu Christi contra Apolinarium, in passionem & crucem salvatoris &c. Elegantissima insuper locutione satisfactionem Christi vocat jam; laudatus Athanasius Ἰσὸς σωτηρίας καὶ πάσης τῆς ἀπορίας, salutis nostræ caput. *Orat. de pass. & cruc. Dom. Satisfactio Christi scutum est illud, quod DEO irato objicimus, umbraculum, sub quo delitescimus, & ab aestu iræ divinæ præservamur; pallium quo nostra imperfectio tegitur.*

§. II. Succedat AUGUSTINUS seculi V. Pater, cujus hæc verba in Ep. 171. t. 2. op. Col. 771. ad Donatist. quos hortatur ut resipiscentes redeant ad communionem: *Erigite oculos cordis, & considerate totum orbem terrarum, quomodo in semine Abrahamæ benedicentur omnes gentes, Genes. 12 Tunc ab uno credebatur, quod nondum videbatur, jam vos videtis, & ad huc invideatis. Passio Domini pretium est Orbis terrarum, Ille totum orbem redemit, & vos cum toto orbe ad lucrum vestrum non concordatis &c. c. 14. Meditat. inquit Omnis spes & totius fidei certitudo mihi in pretioso ejus sanguine, qui effusus est propter nostram salutem. Augustinum excipiat Prosper Aquitan. cujus hæc verba in Respons. ad Objectionem Vincent. p. m. 335. Contra vulnus peccati Orig. verum ac potens ac singulare remedium est*

4. SECTIO PRIMA.

est mors filii Dei, Domini nostri Jesu Christi, qui liber à mortis debito, & solus absq̃ peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est &c. Lege diligenter

BERNHARDI CLARÆVALLENSIS tractatum de erroribus Abailardi, imprimis c. 6. & seqq. Serm. 22. super cantica c. f. p. m. 33, hæc habet: Passio tua, ultimum refugium, singulare remedium. Deficiente sapientia, justitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis, illa succurrit. Quis enim de sua vel sapientia, vel justitia, vel sanctitate præsumat sufficientiam ad salutem. Itaq̃ cum defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido, scio quid faciam, Calicem salutis accipiam, & nomen Domini invocabo. Veruntamen nisi interpellat sanguis tuus pro me, salvus non sum. Non eo jam per centurias Conciliorum, & sacrorum, scriptor. hæc enim nobis pro nunc fufficiant suffragia.

§. IV. Hæc inquam constantissima è S. Scripturis petita, Orthodoxæ Antiquitatis semper fuit sententia & adhuc dum est eorum, qui genuini sunt filii Ecclesiæ Christi. Constat inquam articulo De satisfactione Christi sua veritas, certitudo, firmitas, ita ut piaculum ab omnibus, quibus sanum sinciput, meritò iudicetur, vel minima contradicendi libido. Sed quid non tentat veterator ille nequam, Diabolus, artifex, & Pater mendaciorum. Johan. 8. nonne arietes, & catapultas, vel maximè illorum dirigit, unde ruinam præsentissimam, eamque non exiguam prævidet. Aggressus est in mancipiis suis sublestæ fidei hæreticis, quibus nulla fides, nulla frons, nulla conscientia, acropolin salutis nostræ, Doctrinã de SATISFACTIONE CHRISTI iterum, iterumq̃, & nedum cessat impudentissimus, & inquietissimus ille Spiritus; invicta tamen, & inconcussa hæc subsistet tam solidè fundata, & conferrum inata fidei nostræ machina.

§. V. Mirum genus sanctulorum non heri demùm natorum, sistit nobis series hæreticorum, portentoso nomine vocabantur illi PASSALOR INCHITÆ sive PATTALOR INCHITÆ, hos verbis subsequenter producit AUGUSTINUS de hæresibus ad Quod vult. cap. 63. PATTALOR INCHITÆ in tantum silentio studebant, ut naribus, & labiis suis digitum opponant, ne vel ipsam taci,



SECTIO PRIMA.

turnitatem, voce præcipiant, quando tacendum sibi esse arbitrabantur, unde illis nomen inditum.  $\pi\lambda\tau\lambda\alpha\lambda\omicron\varsigma$  enim Græcis palus, &  $\rho\acute{\iota}\chi\omicron\varsigma$  nasus. Cur autem per palum digitum significare maluerint à quibus hoc nomen compositum est, nescio, cum Græcè dicatur  $\delta\acute{\alpha}\kappa\tau\upsilon\lambda\omicron\varsigma$  & possint utiqve **DACTYLO-RINCHITÆ** multò evidentius nuncupari. De iisdem **PHILASTRIUS** de hæresibus c. 76. Alii sunt **PASSALORINCHITÆ**, qui digitum imponentes in nares, & ora sua, & in labia, quasi silentium semper exercent, non rei, aliæ nisi taciturnitati quasi studium commodantes. Hoc autem facientes quasi Prophetas cupiunt imitari, quia ait David Propheta: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Ps. 140. Et quia jejuniis beati Prophetæ vacantes silentium sæpius commodabant, inde usurpantes isti æstimant observandum, Pythagoricam vanitatem potius, quam Prophetarum cælestem vitam & sapientiam sequi properantes Vid. Baron. annal. ann. 173. n. 40. Spondan. n. 9. Danæus ad Augustin. loc. Similia ferè Epiphani. hæres. 48. de **TRASCODRUGITIS** qui hanc ob causam sic dicebantur, *Trascus* enim apud ipsos pertica appellatur, *Drusus* verò nasus sive rostrum, & ab eo quod imponunt digitum suum, indicem appellatum, in nasum dum orant tristitiæ nimirum & ultroneæ iustitiæ gratia **TRASCODRUGITÆ** appellati sunt, hoc est. **PERTICONASATI**. Fœtus hi *Montani* erant, Illos **PASSALORINCHITAS** imitati sunt **TABENESIO TÆ** Monachi, qui *Silentiarii* &  $\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\lambda\omicron\iota$  dicti, de quibus alibi, & nos in *Historia Eutichiana*. De *Carthusianis*, simiis *Passalorinchitarum*, loquitur ipse *Franciscus Modius* de ordd. Eccl. p. 1623. P. I. *Gualther. Chronic.* **CARTHUSIANI** cœpere anno 1080. sive ut alii censent (neqve enim illos audierdos puto, qui sub *Lucio III. Pont. demũ*, hoc est anno 1186. ortos volunt) 1086. *Victore III. Pontifice*: dicti à loco, in quo ab *Hugone Gratianopolitanorum Episcopo*, auctore *Brunone* quodam ex *Agrippina Ubiorum Colonia* instituti sunt. Utuntur autem alii atris, alii albis palliis, cilicio interius amicti, carnibus nunquam vescuntur, in cubiculis suis soli edentes, festis quibusdam diebus exceptis, silentiumquè penè perpetuum servant. Laici eorum ad cœterorum discrimen, barbam nutriunt.

6  
SECTIO PRIMA.

Conf. *Wolff. Lect. Memor. T. 1. p. 910. ad ann. 491.* Superstitiosum genus hominum, superstitiosum & omnibus cacchinnis explodendum, sibi indixit silentium. Vtinam *PASSALORINC HITE*, bono Christiano, reapse extitissent omnes illi hæretici silentiumque perpetuum sibi indixissent, qui post Christi statim tempora fauces, & rictus dilatârunt, & indignissima quæque in Christi personam, & officium, imprimis in ejus satisfactionem, impudenti ore, eructârunt scommata, blasphema dogmata, ut mirari subeat, quî *DEUS* justus, & summus rerum arbiter, peculatores nequissimos, & perfidos, tam diu tolerare sustinuerit, sustineat adhuc. Producamus aliquos tantum hujus malitiæ architectos, qui ut *Diogeniana lucerna* conquirendi essent, optandum foret, neque per omnia secula ultrò se diffudisset tanta eorum colluvies.

§. VI. Seculum aureum *Apostolorum* jam vidit perduelles tales. Unde *Petrus* in lachrymas ferè solutus, conqueritur, sic scribens: *Fuerunt autem Pseudo prophetae in populo, quemadmodum & inter vos erunt falsi doctores* ἄλλοις ὡς ἀπὸ ἀέρος ἰρρεπέντες, & clam inducentes hæreses perniciosas, etiam Dominum illum qui illos mercatus est, ab negantes, ἵνα ἀγοράσονται αὐτὸς ἑαυτοῖς ἰν ἀπὸ βραχίονος, accerscentes sibi celerem interitum, 3. *Petr. II v. 1* Vid. *Gerh. Comm. h. 1. OECUMENIUS* in hunc locum per pseudo doctores intelligit *NICOLAITAS*. Alii de *SIMONIANIS* & *NICOLITIS*. Non solùm hi, sed & alii hujus furfuris, intelligendi qui paulò post *Apostolorum* tempora *Ecclesiam* turbârunt, falsisque suis dogmatibus multos in errorem perduxerunt, quinimò de nostrorum novissimorum temporum hæreticis (*Sociniana* imprimis colluvie) verba *Petri* intelligenda. Producuntur hæretici illi in scenam à *Philastrio*, *Augustino*, *Epiphanio*, *Isidoro Hispal.* l. 8. orig. cap. 4. *Theodoreto* libris *H. F. Paulino Aquilejens.* lib. 6. cont. *Felic. Urgelit.* T. 4. p. 2. *Bibl. Pp.* quibus jungere ex recentioribus *Prateolum*, *Alphonsum de Castro*, *Gvidonem Perpiniatum*, *Jacobum Gvaltherium*.

§. VIII. Agmen hæreticorum ducat *Simon Magus*, semen infestissimum, sed foecundissimum hæreticæ pravitatis, hunc *Simonem*

M.

M. non tam pridem publici juris fecit *Michaël Siricius Theol. Giesl.* Arrogans hic nebulo *Christum se esse dixit, & Christum commentitium Christianorum, nec venisse, nec à Judæis quicquam pertulisse, sed se imaginariè passum esse.* Ita de eo *August. de hæres. ad Quid vult. cap. 1.* ubi recenset hæresos hujus, capp. 15 quædam præcipua, non tamen omnia, reliqua pete ex *Iren. l. 1. cap. 20. ad v. hæres. Theodor, l. 1. hæret. Fab. p. 266. b. Epiphano. l. 1. hæres. 21.* Proseminavit igitur *Valentinianos, Apbtordocitas, Docitas ipsos, & Samosatianos, Turcismi denique magna fundamenta.* jecit *Dan. ad August lib. de hæres. p. 5. a.*

§. IIX. MENANDER Simoni Mago succedens, armatura Diabolicæ operationis (verbis *Eusebii ex Justino & Irenæo petitis, efferere malo, l. 1. H. E. cap. 26.*) priore (Simone Mago) non inferior, deprehenditur. Ingenio & moribus erat & ipse Samarites, nec minus ad summum magicæ artis verticem pervenerat, quam ipse præceptor, imò ad portentosa mendacia aliquid etiã adjecit, se ipsum videlicet servatorem jam esse dicens, cœlitus ex invisibilibus seculis ad salutem hominum missum. *Augustinus cap. 2. hæres. non meminit hujus erroris; Epiphanius tamen l. 1. hæres. 22. ut & Theodoret. hæret. fab. l. 1. de Menandr p. m. 267. Supplem. hæres. Philastrii p. 108. indicant SATURNILUM al. SATURNINUM maxima ex parte cum Menandro nugatum esse. Vide Euseb. H. E. 4. c. 6. Theodoret. l. 1. H. F. de Saturnillo. Philast. c. 31.*

§. IX. BASILIDIANI non credebant à Judæis Christum crucifixum, sed Symonem Cyrenæum. *August. de hæres. c. 3. & prolixius aliquantum Epiphanius l. c. hæres. 24. p. m. 17. b. Dum Dominus è Hierosolymis exturbaretur, velut Evangelii series habet, coegerunt quendam Simonem Cyrenæum ad portandam crucem; hinc reperit, ut nequitiei suæ tragediam confingeret. Et illud, inquit, in eo quod portebat crucem, transformavit in suam speciem, & se ipsum in Simonem, & pro se ipso tradidit Simonem ut cruci figeretur, stabat ex proposito invisibilis Jesus, deridens eos qui Simonem crucifigebant. Ipse vero discessit ad cœlestia, tradito Simone ad crucifigendum, & illæsus processit ad cœlum. Verum ipse Simon crucifixus est, & non Christus. Jesus n. inquit, sublatus in cœlū, penetravit omnes virtutes, donec constitutus est ad propriū suū Patrem. Hic n. est, inquit, filius ille patris prædictus, qui missus est in auxiliū filiorū hominū, propter seditionē, quā vidit pat. r inter homines, & inter angelos.*

Et

Et hic est, inquit, *salus nostra*, qui venit. & nobis solis hanc veritatem revelavit. Confer. *Iren. advers. hæres. c. 23. Theodoret. H.F. p. 267. b. Eusebius H. E. l. 4. c. 6.* Occasionem erroris *Basilidis* fuisse sequentibus innuit: *Basilides secretiorum quorundam dogmatum prætextu cogitationem suam in infinitum extendit, & sibi ipsi impie hæresis portentosas fabulas esse commentum indicat.*

§. X. GNOSTICI teste *Epiphano hæres. 26. p. m. 22.* asserunt: Christum non esse à *Maria* natum, sed per *Mariam* ostensum, carnem vero ipsum non suscepisse, sed solum apparentiam ejus. Non meminit hujus erroris *August.* in enumeratione errorum *Gnostico- rum. cap 6, vid. Iren. advers. hæres. c. 9.*

§. XI. CARPOCRATIANI delirabant: *Jesum Dominum nostrum ex Joseph generatum esse, quemadmodum omnes homines ex semine viri ac mulieris geniti sunt.* *Epiph. hæres. 26. circa finem hæres. addens omnibus sana mente præditis, cognitu facile fuerit quod dementi & plena hæc circulatoria officina. Vid. August. c. 7. de hæres. & Theodoret: H.F. p. m. 267. & quem præmittere debebam Iren. adv. hæres. c. 24.*

§. XII. CERINTHIANI sive MERINTHIANI apud *Epiphan. hæres. 28.* nugabantur teste *Jræneo advers. h. c. 25. l. 1.* *Jesum fuisse Josephi & Mariæ filium, ut reliquos homines, & plus potuisse, justitia, sapientia, prudentiâ præ omnibus & post baptismum descendisse in eum Christum ab ea principalitate, quæ est super omnia, figurâ columbæ, & tunc annunciasse incognitum Patrem, & virtutes perfecisse, in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu, & Jesum passum esse, resurrexisse, Christum autem impassibilem perseverasse existentem spiritalem.* *Theodoret. l. 2. H.F. p. 274.* Reticet hunc errorem. *Isidor. Hispal. l. 8. orig. c. 4.* agens de hac hæres. Variasse tamen hunc *Cerinthum*, ex *Epiphan. loco allegato* discimus. p. m. 28. Hic autem scribit *Cerinthius stolidus, & stolidorum Magister* rursus temerariè dicere ausus est: *Christum passum esse, & crucifixum, nondum autem surrexisse. Resurrecturum autem esse, quum universalis mortuorum resurrectio fiet.* Inconstantia igitur sunt apud illos verba, & dogmata.

Con-

Confer eundem *hæres. 30. p. m. 31. c. med. vid. Philast. c. 36. & Iren. l. 3. c. 11.* Tertullianus de *præscript. hæret. c. 48. addit.* Cerinthum docuisse Christum hominem tantummodò sine divinitate fuisse. Ut mirum sit, quâ fronte audeat Socinus in *Joh. 1. p. 6. negare* Cerinthum divinitatem Jesus negasse.

§. XIII. EBIONITAE similiter errârunt asserentes: Christum tantummodò hominem fuisse, August. *hæres. c. 10.* Epiphani *hæres. 30. Philastr. hæres. c. 37. Theodor. l. 2. H. F. p. 274. a. Isidor. l. c. E-* bionitæ sive Ebionæi ab Ebione discipulo Cerinthi dicti i. e. Pauperes, Pauperes enim (*Eusebii verbis utor. l. 3. H. E. c. 27.*) & abjecti fuerunt, in tradendis de Christo dogmatibus. Simplicem enim eum & communem, ac propter morum profectû, eiq. hominem tm. & ex viri & Mariæ consuetudine natû judicârunt. Non tamen Dominum majestatis, & DEI Patris filium cum patre sempiternum esse credebat, cum divinæ scripturæ, Dominum sempiternum, cum patre verò æquè sempiterno testantur, ac prædicent. *Philastr. hæres. l. c.* Unum ergo cornu illi inflabant cum *Cerinthianis & Carpocratianis.* Duos tamen errores iis tribuit Augustinus, plures Epiphanius loco citato quos, inter & hic: „Adamum Christum esse, illum primum formatum, & à DEI inspiratione in flatum. Vocabantur et *Sampseni, Offeni, Helcesaitæ.* Epiphani. *ib. 31. b. Danaus ad Aug. de hæres. cap. 10. Epiphaniis* cujusdam meminit Theodoret. *l. 1. H. F. p. 268. & Epiphani. hæres. 32.* quem *Carpocratis* filium fuisse asserit, assertorem strenuum pater-norum errorum. Eum secutum esse PRODICUM, is eorum, qui *Adamitæ* dicuntur hæresin constituit. Apertè, Theodoro teste *l. 1. H. F. p. 268. a.* & palam scortari adjecit, decretis *Carpocratis.* Homines illi infelicissimi, pergit Theodoret. ex Clemente. *Alex. l. 3. Strom.* carnalem concubitus communionem consecrant, & eam existimant illos ad regnum Christi perducere.

§. XIV. VALENTINIANI à Valentino, non quidem negârunt divinam Christi naturam, & ex patre nativitatem, ita tamen

fabulis figmentis & nugis intricârunt, ut planè ridiculam effecerint, & fatig fuerit Christum DEI filium ex DEO patre omninò non nasci, quàm eo modo iisque gyrationibus nasci. Fuit autem (quod benè monuit *Daneus* ad c. II. hæres. August.) hæc hæresis eò cæteteris superioribus omnibus pestilentior, quod majori quâdam & subtiliori ratione niti videbatur, haberetque multa cum scriptis poëtarum, & genealogiis Deorum, quæ ab Ethnicis laudabantur consentientia, tanquam illi veritatem tantum fabulis suis obscurassent, quam unus hic impostor *Valentinus* perspicuè didicisse, ac commodè attigisse videretur. *Epiphanius* hæres. 31. hæresiarcham appellat. *Lactantius* l. 4. *Instit.* Valentinianorum, ut præcipuorum Christianæ Ecclesiæ vulnerum meminit. Nocentissima certè venena sparsit, quibus vera Evangelii doctrina de Christo mediatore nostro DEO, & homine credendo, aspersa est. *Ariani*, *Samosateniani*, *Nestoriani* lethale fuit armamentarium, denique *Mahumetismi* fons spurcissimus: Duos Christos commentus est. *V. Epiph.* l. c. p. 43, b.

“Dominum nostrum ex quatuor his compositum esse conservan-  
 “tem figuram primogeniti, ac primarii quaternarii: Ex *spirituali*  
 “quod erat ab *Achamothe*; ex *animali* quod erat ab *opifice*; ex *dispensa-*  
 “*satione* quod erat constructum *arcana arte*; & ex *salvatore* quod-  
 “erat *columba*, quæ in ipsum descendit. Et hoc quidem afflictionis  
 “exors permanisse. Non enim possibile erat ipsum pati, cum non appre-  
 “hensibilis & invisibilis esset, & propterea cum adduceretur ipse ad  
 “Pilatum, depositum in ipsum Christi spiritum sublatum esse. Imò  
 “neque *semen à matre passum esse dicunt*. Læsionis enim ex pers est, &  
 “invisibile, quod est spirituale, etiam ipsi opifici. Passus est igi-  
 “tur ex ipsorum sententia *animalis Christus*, & qui ex dispensatione  
 “arcano modo constructus est: quo ostenderet ipsius mater figu-  
 “ram superni Christi, illius qui extentus est in cruce, & formavit  
 “*Achamothe* formatione secundum essentiam. Hæc habet *Epiphanius*.  
 “p. 46. *V. Iren.* proleg. in lib. 4. & *Theodoret.* l. 1. H. F. p. 26. *Philastr.* c. 42.

Nugatur prætereà: Christum à patre, quem profundum appellat, ad totius mundi salutem fuisse dimissum, deque coelo eum carnem detulisse, nihil autem accepisse de sancta virgine, sed ut aquam per rivum, ita transiisse per eam affirmat. Animam ergo solam salvam, corpus autem hominis non salvam arbitratur. Philastr. de hæres. 38. Epiphani. l. c. & hæres. 33. Theodoret. l. 1. H. F. p. 269. a. De Redemptione Christi non sibi constant, & multa erronea comminiscuntur, ita ut non abs re judicavit Iren. l. 1. c. 18. Quot quot hujus opinionis Valentini mystæ, tot etiam Redemptiones dicunt. (pergit jam laudatus. autor p. 78.) Esse perfectam redemptionem, ipsam cognitionem inenarrabilis magnitudinis, Spiritualem igitur oportet etiam redemptionem esse; redimi enim per cognitionem internum hominem spiritualem & contentos ipsos esse universorum cognitione, atque hanc redemptionem esse veram. Vid. Theodoret. l. 1. H. F. p. 269. b. His ipsis verbis reprehendit Epiphanius. h. 34. p. m. 61. **MARCOSIO** Sex Iren. l. 1. c. 18. docens, eundem errorem eos errare. Addit ibidem miram Baptismi formam Marci & sodalium, quâ redemptio per Christum facta non parum obscuratur his verbis: Alii vero ducunt ad aquam, & baptizantes ita dicunt: In nomen ignoti patris universorum, in veritatem matrem omnium, in eum qui descendit Jesum, in unionem & redemptionem ac societatem virtutum. Alii vero Hebraica quædam nomina adjiciunt, quò magis admirationi sint, his qui initiantur, hoc modo: Basema, Chamosse, Baæanocra, mistadia, ruada, custa, babophor, calachthi. Horum interpretatio hæc est: Super omnem virtutem patris invoco, id quod nominatur Lux, & Spiritus bonus, & vita quæ in corpore regnasti. Alii rursus redemptionem adjiciunt his verbis: Nomen absconditum ab omni Deitate, & dominatione ac veritate, quod induit Jesus Nazarenus in vita lucis Christi, Christi viventis, per Spiritum Sanctum in redemptionem angelicam, nomen restitutionis, Messia, Vphareg Nammem Psæman, Chaldæan, Mosomedæa, Acphranæ, Psevva, Jesu Nazaria. Et horum interpretatio hæc est: Christi non divido Spiritum, cor, & super coelestem virtutem misericordem. Utinam fruam nomine tuo Salvator veritatis.

Et hæc quidem verba dicunt, hi qui initiant. Qui verò initiatus est, respondet: *Firmatus sum & redemptus, & redimo animam meam à seculo hoc, & omnibus qui cum ipso sunt, in nomine Jao, qui redemit animam suam in redemptionem in Christo vivente.* Deinde acclamant omnes præsentēs: *Pax omnibus super quos nomen hoc requiescet.* Deinde unguunt initiatum succo balsami. Hoc enim unguentum figuram fragrantiae super universa esse dicunt. Pollicem premunt *Valentinianis*, *SECUNDIANI*, nisi quod *Augustino teste c. 12. de hæres.* addunt opera turpitudinis. *Philastrius addit. cap. 39.* hunc errorem *SECUNDI* asserentis: *Christum quasi per phantasiam apparuisse i. e. veluti umbram humano generi & non veram habuisse carnem.* Consentit huic hæresi *PTOLEMÆUS* discipulus Valentini. *August. c. 13. Epiphani. hæres. 33. Sed & CERDON. Philastr. c. 44. August. cap. 21. de quo mox.*

§. XV. *HERACLEONITAE* morientes suos novo modo redimunt ab æternâ morte, per oleum, balsamum, & aquam, invocationes, quas Hebraicis verbis dicunt super capita eorum. *August. c. 16. Epiphanius adponit formulam invocationis hæres. 63. p. 63. b. & hæc est: Messia, Uphareh, Namempseman, Chaldæam, Mosomedæa, Acplixane, Pseuva, JESU, Nazaria.* Hoc autem faciunt (*subjungit Epiphanius*) ut hi  
 “qui has invocationes in vitæ exitu accipiunt, cum aqua & oleo,  
 “aut unguento permixtis, incomprehensibiles fiant, & invisibiles  
 “supernis principatibus, ac potestatibus, ut invisibiliter transgre-  
 “diatur internus ipsorum homo, tanquam corpora hæc in creatu-  
 “tura, relinquuntur, anima verò ipsorum opifici adstet supernè in  
 “defectu constituto, ut & illic maneant apud ipsum, transcendat  
 “autem (velut dixi) interior ipsorum homo, anima, & corpore  
 “interior, quem sanè volunt dicere ex superno complemento de-  
 “scendisse. Has nugas adamavit etiam *MARCUS* cujus *Epiphanius* ibidem mentionem facit. *Iren. l. c. & l. 1. c. 10. & Theodoret. l. 1. H. F. p. 269. Philastr. c. 42. Epiph. h. 34. HERACLITAE* sive *HIERARCHICI* resurrectionem carnis negant, respuunt conjugia, regnum  
 caelo-



*caelorum ad parvulos pertinere negant. Isidor. l. 8. Orig. c. 4. August. de hæres. c. 46.*

§. XVI. **CAINI**, Cainum honorantes, dicunt eum fortissimæ esse virtutis. Philastr. hæres. c. 2. August. hæres. c. 18. Judam divinum aliquid putant esse, & scelus beneficium ejus reputant, asserentes: præscivisse, quantum esset generi humano profutura passio, occidendum propterea Judæis tradidisse. Hæc Augustinus. Theodoretus l. 1. H. F. p. 270: b sic effert. Judam proditorem, solum ex omnibus Apostolis, dicunt hanc cognitionem habuisse, & ideò effecisse proditoris mysterium. Epiphanius regerit hæres. 38. p. 18. a. Dominus per seipsum perficiens nobis, & mundo seipsum tradidit, ut contingeret, nobis salus, proinde non Judæ proditori gratiam agimus, sed misericordî salvatori, qui animam posuit pro nobis propriis suis ovibus. Vid Iren. l. 1. c. 35. adv. hæres.

§. XVII. **CERDONIANI** à Cerdone nominati, negarunt Christum natum ex fœmina, neque habuisse veram carnem, sed nec verè mortuum, vel quicquam passum esse, sed simulasse passionem, August. hæres. c. 21. putabatur quibusdam pati, non tñ. verè patiebatur. Philastr. hæres. c. 44. Ep. hæres. 41.

§. XIX. **MARCIONITAE** à Marcione, discipulo Cerdonis dicti, cujus & dogmata secutus est, dixit: Christum non verè pro nobis passum esse, sed tantum illusionem, & phantasmate. Totam illam historiam de passione, & morte Christi, tragicam tantum fabulam fuisse contendebat, per quam præstigiis quibusdam Christus illuserit spectatorum, imò verò discipulorum suorum oculis Epiphanius. hæres. 42. Philastr. c. 45. Theodoret. H. F. p. 271. b. Gabr. Præcol. hæres. l. 11. P. 2. chron. Gvalth. Danaeus ad August. cap. 22. Scripturas Sacras fœdissimè adulteravit, & deturpavit vide Epiphanius. hæres. 42. Quem fidelissimè secuti sunt **PHOTINIANI** & **SOCINIANI**, ut patebit. Marcion hic ausus quoque est affirmare Cainum, Sodomitas, et omnes alios impios salutem assecutos esse, cum apud inferos ad Christum servatorem accessissent, & in regnum assumptos esse. Abel autem, Enoch, & Noe, & Patriarcha, & reli-

quos

quos Prophetas, & justos datam illis libertatem non esse adeptos, cum ad eum accedere noluissent. Quae de causa, inquit, ut etiam apud inferos habitarent, condemnati sunt. Sic Iren. l. 1. c. 29. adversus haeres Theodor. H. F. p. 271. b. Nestorii, & Eutychetis errores notissimi sunt. V. Histor. nostr. Eut.

§. XIX. APELLITAE ab APELLE sic dicti inter alia delirabant, ceu refert August. c. 23. de haeres. Christum non quidem duxisse carnem de caelo, sed ex Elementis mundi accepisse, quae mundo reddidit, cum sine carne resurgens in caelum ascendit. Ita etiam Philastr. c. 47. Theodoret p. 272. H. F. Isidorus l. 8. Orig. c. 6. p. 50. b. distinctionem ponit inter APELLITAS & APPELLITAS & his posterioribus haeresin hanc adsignat. Epiphanius de his paulo clarius haeres. 40. p. 91. b. APPELLITAE docent Christum non in apparentia comparuisse, sed in veritate carnem accepisse, non à Maria virgine, neq; à semine viri neq; à muliere virgine, sed habuit carnem veram hoc modo & dicit: Cum descenderet à caelestibus, venit in terram, & congregavit sibi ipsi à quatuor elementis corpus. Et statim subdit: Dicit velut Gentiles, & adhuc frigidius quam illi salvatorem sibi ipsi corpus suppeditasse dicit, à sicco siccum, à calido calidum, ab humido humidum, à frigido frigidum. Deinde (inquit) dedit Christus se ipsum ut pateretur in ipso corpore, et crucifixus est in veritate, et ostendit ipsam carnem suis discipulis: et ubi resolvisset (inquit) ipsam suam humanam in carnationem, distribuit rursus unicuique elemento quod ipsius proprium erat, reddido calidum calido, frigidum frigido siccum sicco, humidum humido. Et sic dissoluto ab ipso rursus carnali corpore, revolavit in caelum, unde etiam venit.

§. XX. SETHIANI sive SETHITAE, & OPHITAE, Jesum dixerunt Sethum fuisse Theodoret. l. 1. H. F. p. 270. Epiphanius. haeres. 39. Philastr. c. 2. haeres. Isidor. lib. 8. Or. c. 6. p. 50. b. August. haeres. c. 19. dixerunt insuper Jesum alium praeter Christum fuisse, & eum quidem, qui Deus est ex virgine esse natum, Christum autem à caelis ad ipsum descendisse, dicunt autem Apostolos esse, ratos Servatoris carnem resurrexisse. Haec Theodoret.

§. XXI. CATAPHRIGES, PEPUCIANI, QUINTILIANI  
Mon-

Montanistarum progenies, sacramenta funesta habent. Fædè & spurcè panem in sacra Cœna sanguine humano pinsunt, ut horrendum potius sacrilegium, quam plenum consolationis sacramentum esse videatur, sanctissima Domini Cœna. De infantis anniculi sanguine; inquit Augustinus, quem de toto ejus corpore minutis punctationum vulneribus extorquent, Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinae, panemque inde facientes, qui puer si mortuus fuerit habetur pro martyre apud eos, si autem vixerit pro maximo Sacerdote. c. 26, 27. Augustin. hæres. Mirum quod Isidorus hujus erroris mentionem non faciat.

§. XXII. ANGELICORUM hæresis obscura fuit, de qua Epiphani. hæres. 60. p. 120. a. Angelicorum hæresin audimus, & nomen solum ad aures nostras pervenit. Non autem valde certò scimus, quæ sit hujusmodi hæresis, eò quod fortassis aliquando ad tempus duravit, & postea defivit, ac penitus deleta sit. At, verò ob quam causam nomen accepit, non scimus. Sive enim ex eo quod aliqui mundum ab angelis factum esse dicunt, & ipsa hoc asserens hoc nomine appellata est, non possum dicere. August. c. 39. hæc tantum habet de Angelicis: Angelici in angelorum cultum inclinant. Ita & Isidorus l. c. p. 50 b. Meminit Chrysof. homil. 7. in Coloss. 1360. edit. Comel. quorundam hæreticorum, qui dicunt: Οὐ δὲ διὰ τοῦ Χριστοῦ ἡ προσάγεσθαι, ἀλλὰ διὰ τῶν ἀγγέλων: Non oportere per Christum adduci nos reconciliatos esse, sed per Angelos. Illud enim est majus, quam ut id possimus, assequi. Propterea dicit eum pro nobis esse perpeffum, & dilexissenos & rursus nos in eo ipso esse crucifixos. Tale quid Arianis adscribit Augustinus Act. contr. Maximinum Arianum Tom. 3. op.

§. XXIII.

§. XXIII. NOETIANI eorumque pulli SABELLIANI dicebant patrem omnipotentem ipsum esse Christum, & ipsum natum, & ipsum passum & ipsum mortuum fuisse in corpore *Isidor. Hispal. l. 8. Or. c. 4. p. 50.* Noëtus dicebat se esse Mosem & fratrem suum *Heliam Prophetam. Philastr. c. 53. 54. August. hæres. c. 36, 41. Theodoret. l. 3. H. F. p. 277. Epiphan. hæres. 57. 62.*

§. XXIV. SAMOSATENIANI, sive PAULANI à PAULO SAMOSATENO, Christum non semper fuisse dicunt, sed ejus initium, ex quo de Maria natus est, asseverant, nec eum aliquid aliud esse, quàm hominem purum. Hæresis hæc ARTEMONIS fuit, quam instauravit PALLUS, postea à PHOTINO sic confirmata, ut Photiniani, quam Pauliani celebrius nuncupentur. Hæc *August. hæres. 43. Philastr. c. 64. Isidor. Hispal. l. 8. or. c. 4.* Confer *Epiphan. hæres. 65. Theodor. l. 2. H. F. p. 275.* Idem *Theodoret. Dial. 2. Inconf.* sic distingvit SIMONEM VALENTINUM, MARCIONEM ab ARTEMONE, SAMOSATENO & aliis, quod priores negarint humanitatem Christi, posteriores negarint divinitatem. Arius & Eynomius creatam ejus divinit. dixerint.

§. XXV. PHOTINIANI, à PHOTINO per omnia secuti sunt SAMOSATENIANOS, quos ideò *Philastrius & Augustinianus* connectunt, cum tamen docente *Epiphano*, medii varii hæretici ab iis planè dissimiles, intercesserint, quales erant MANICHÆI, HIERACITÆ, MELETIANI, AUDIANI. de hoc Photino *Theodoret. l. 2. H. F. p. 275.* audiamus. Photinus, ait, existimabat unam esse operationem Patris, & Filii, & spiritus sancti, aliis nominibus dogmatum Sabellii sensum prædicans. Adversus hos quatuor scripsit divinus *Diodorus*, qui rexit Cilicum Metropolim, ostendens Christum DEUM ante secula in ultimis diebus hominem factum esse & hominum salutem procurasse, vide *Epiphan. hæres. 71. Isidor. c. 4. p. 50.*

§. XXVI. PHOTINIANIS subjungit *Philastrius* ARIANOS & SEMIARIANOS cap. 66. 67. Quamvis uti jam dictum aliæ intercesserint hæreses. *Isidor. l. c. Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum nolunt esse*

esse

esse unius & ejusdem naturæ atque substantiæ; aut ut expressius dicatur *Essentiæ*. Ita *August. c. 49*. Filium Dei creaturam esse putabant, Spiritum Sanctum creaturam creaturæ: vide *Epiphan. multis hæres. 69. Theodoret. H.F. l. 4. p. 278. August. multis passim. Philostorg. H.E. l. 1. Arianos ARIOMANITAS* etiam vocant *Epiphan. l. c. & ARIOMANITAS V. Nicol. Fabr. præfat in Hilar. opuscula Historica. Gelas. in Concil. Nicæn. Actis Victorin. l. 1. Neceph. Call. l. 8. c. 5. 6. 7. H. E. Tripart. l. 1. c. 12. C. L. Barth. in Phœbad. animadvers. p. 133*

§. XXVII. SEMIARIANI *Philastrio* sunt c. 67. qui de Patre & Filio benè sentiunt, unam qualitatis substantiam, unam divinitatem credentes. Spiritum autem non divinam substantiam, nec DEUM verum sed factum atque creatum prædicantes. *Vid. August. c. 51.*

§. XXIIII. SELLUCIANIS conjungit HERMOGENISTAS vel HERMOGENIANOS *Philastrius & Augustinus* non satis commodè judicio *Danaei ad August. c. 59. p. 158*. Negabant hi *Salvatorum in carne sedere ad dexteram Patris*, sed eâ se exuisse perhibent, eamq; in sole posuisse, occasionem accipientes de Psalmo ubi legitur: *In Sole posuit tabernaculum suum etc.* Hoc MANICHEANUM est v. *August. l. 2. contr. Faust. c. 5. & de hæres. c. 59. Philastr. c. 55. Theodoret. l. 1. H.F. p. 270. Prateol. Elench. hæres. l. 14. p. 662 m.* Hæc est ipsissima SOCINIANORUM doctrina veluti suo loco videbitur, *Epiphanius* quantum quidem inquirere licuit, hos præterit. Huc referas PROCLIONITAS, APHTORDOCITAS, CHRISTOLYTAS, FLORIANOS, & BLASSIANOS, de quibus consule hæcenus laudatos autores.

§. XXIX. DONATISTAE referente *Theodoreto H.F. l. 4. p. 280.* cum *Arianis* conveniunt, sed novum in sania genus excogitarunt violentam enim mortem martyrium nominant *August. l. 3. contra Cresc. Grammat. c. 34.* scribit: Ipsum DONATUM Carthaginiensem Episcopum Sardicensi Synodo, quæ ut ait *Augustinus*, fuit Ariana, interfuisse, & sub scripsisse. Contra DONATISTAS scripserunt *Augustinus, Optatus Milevitanus &c.*

§. XXX. PELAGIANIÀ PELAGIO Scoto Monacho, dicti, qui semina doctrinæ sparsit in Occidente sub initium seculi V. *Voss. de histor. Pelag. l. 1. c. 3.*, nulla ordinis Ecclesiæ prerogativa spectabilis, in hæresin grandè labitur. *Jansen. August. T. 1. p. 1. 2. seqq.* Ingenio tum ipse tum, COELESTIUS præstanti acuto atque acri erant, Vid. *August. ep. 106. ad Paulinum l. 2. ad Bonif. c. 3.* acutissimum vocat Pelagium, de natur. & Grat. c. 35. COELESTIUM acerrimi ingenii l. 2. ad Bonif. c. 3. Conciones Pelagii vehementes, & ardentes fuisse *August. dicit de gest. Pelag. c. 25.* Hieronymus tamen passim ingenia Pelagianorum despicit vid. *Jans. l. c.* In hæresin lapsus est in senectute sua. *Isidor. Pelus. ep. 314. l. 1. p. m. 84. edit. Paris. 1638.* Cani effusi sunt in Epharaim, & ipse ignorvit, vitiosis nimis, mirum affectionibus juvenescens. Eodem modo tibi quoque, ingens annorum turba canitiem invexit: & tamen rigidum atque inflexum animum habes, ex alio monasterio ad aliud subinde migrans, atque omnium mensas perscrutans & explorans. Quamobrem si tibi carniæ nidus, atque obsoniorum condimentum curæ est, iis, qui magistratus gerunt, potius blandire, atque urbium caminos vestiga. Neque enim homines eremitæ facultates eas habent, ut te, quemadmodum tibi gratum est, excipere queant. Sequaces habuit COELESTIUM, MASSILIENSES &c. Perniciosissimi hi erant hæretici, diuturnitate suâ multum damni inferentes Ecclesiæ, DONATISTIS se in multis junxere. *Jansen. August. l. 4. c. 20. Calov. de hæres. abneg. herum Sect. 2. §. 3.* Hæreseos hujus non meminerunt *Philastrus, Epiphanius Theodoretus.* Et apud *Augustinum* ultima hæc est, constituens, cap. 88. qua de Augustinum audi. *Pelagianorum hæresis*, hoc tempore (secul. sc. præcipiant. vel ut alii malunt sub initium seculi V. à PELAGIO Monacho exorta quem magistrum *Cælestius* sic secutus est, ut sectatores eorum *Cælestiani* etiam nuncupentur. Hi DEI gratiæ (quâ prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in

ipsum

ipsum, & qua eruiamur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus, atque in regnum ipsius transferamur, propter quod ait; „Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo: & qua diffunditur charitas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur) in tantum inimici sunt, ut *sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata*: quum si hoc verum esset, frustra Dominus „dixisse videretur, sine me nihil potestis facere. Destruunt & „fidem & gratiam DEI quam homines à seipsis habere contendunt „secundum merita nostra dari. Ipsum quoque Adam dicunt, si non peccasset fuisse corpore moriturum, neque mortuum merito culpa, sed conditione natura. Hæc ex Augustino. Errores Pelagianorum collegit in unum fasciculum *Johannes Latus lib. 1. Part. 2 de Pelagianis & Semipelagianis p. 42. seqq. quem vide. Confer. D. Calov. Dissert. de hæres. abneg. herum sect. 2. Voss. de Historia Pelagiana. Sequentia colligo ex Jansenii Augustino: Manichæis pejores sunt Tom. 1. p. 64. Ab Ecclesia condemnati ad Philosophiam appellant p. 154. . Æquivocationibus & amphibologiis ludunt p. 160. Scripturas secundum regulas philosophicas metiuntur p. 152. 154. Eorum hæresis ex philosophia Peripatetica dimanavit, quare à S. Augustino vocantur Simia Aristotelis. Tom. III. p. 328. 343. 352. Tota eorum hæresis duobus capitalibus dogmatibus continetur: Peccati Originalis negatione & potestatis humanæ ad operandi justitiam, assertionem Tom. 1. 148. Mandata omnia absque gratia impleri posse p. 87. Christum esse parvulorum Jesum negant. p. 64. Christum gratis & frustra mortuum esse, necessaria consequentia sequitur, uti advertit Augustinus c. 40. De Nat. & gratia. Si enim, inquit, possibilis naturalis per Liberum arbitrium & ad cognoscendum, quomodo vivere debeant & ad bene vivendum sufficit sibi, ergo Christus gratis mortuus est. pag. 88. Pelagianismi Origenismi ramusculus pag. 154. Nestorianismi mater pag. 30, 32, 41, seqq.*

„Pelagianismi, & Semipelagianismi scopus hic fuit, ut humana  
 „salus quemadmodum & interior ex humani arbitrii, quod homi-  
 „nibus per liberum arbitrium datum est, libertate penderet: Ita ni-  
 „mirum ut si quod forte ad illam salutem assequendam præmium  
 „per gratiam suam operaretur DEUS, ultima tamen discretio u-  
 „nius ab alio, operantis à cessante, credentis ab incredulo, volen-  
 „tis à nolente nequaquam à Deo, sed ex liberi arbitrii cardine fle-  
 „xuque peteretur, cum n. certissimum, & ipsis intimis rationis pe-  
 „netralibus tanquam solis radio inscriptum esse sentirent, nemi-  
 „nem rectè sine propria sua voluntate, hoc est nisi ipse velit, posse  
 „vivere, neque quidquam esse magis in potestate hominis quàm  
 „voluntatem p. 143. Pelagianismi primus status Ethnicismus. Quid  
 „enim egerunt philosophi maxime Stoici, nisi, ut hominem i-  
 „psum repudiato omni sive DEI sive alterius adjutorio ad o-  
 „mnem virtutem felicitatem propriam sufficere persuaderent. p.  
 96. 97. Secundus status semi Ethnicismus gratiam naturæ extollit.  
 p. 97. Tertius status Judaismus, gratiam enim legis & doctrinæ cõ-  
 menti sunt, cui quoque remissionem peccatorum addiderunt. E-  
 am esse gratiam DEI, dicit hæresis Pelagiana referente *Augustino*  
*de gest. Pelag. c. 35.* Quia sic conditi sumus, ut hoc voluntate possi-  
 mus, & quod adjutorium legis mandatorumque suorum dedit,  
 & quod ad se conversis peccata præterita ignoscit. In his solis esse  
 gratiam DEI deputandam, non in adjutorio nostrorum actuum  
 singulorum. p. 97 98. & *Tom. 3. p. 11.* Quartus status semichristianif-  
 mus, de gratia ad perfectionem necessaria, ubi meritum humanum  
 inferunt, & hunc postremum statum amplexi sunt *M. ASSILIEN-*  
*SES* dicti *Semi Pelagiani T. 1. p. 139. seqq. 141. 162.* Pelagiani vires naturæ  
 extollendo & gratiam DEI alternando Christo sunt injuriosi *Tom. 2.*  
*p. 2. 188. & Tom. 3. p. 34. 35. 36.* Sed hæc de Pelagianis nobis sufficiant.

§. XXXI. MAHOMETISMUS nil aliud quam cento hæreseon.  
 vid. *Prætol. Elench. hæres. l. II. tit. Mahometes. Utrism. Von*  
*unterscheid der Religion c. 3 Forbes. Instruct. Histor. l. 4. c. 4. Muhame-*  
 dis-



dismus est hæresis conflata ex Christianismo vero, inquit Hottingerus p. 1. H. E. p. 398, seqq. falso p. 401. seqq. Ex Judaismo p. 403. Ex Saracenisimo p. 407. 408. Ex antilogiis ineptissimis p. 409. ex propriis Muhamedis figmentis p. 408. Ex anachronismis variis p. 409. Imprimis injurii hi sunt in satisfactionem Christi statuentes: Christum non esse verè mortuum, in caelos, sine mortis interventu sublatum esse statuunt. Vide supra citatos authores. Confer Warner p. 32. Errores capitales pete ex Elmac. Histor. Saracen. l. 1. c. 1. p. 3. edit. Erpen. Confer D. Caixt Appar. p. 78. seqq. Levin. Warner. Compend. Muhamed. Relig. Hotting. Histor. Orient. l. 2. cap. 3. Histor. Eccles. p. 1. 363. seqq. & Αρχαιολ. mult. Forbes. à Corfè instruct. Histor. Theol. l. 4. c. 4. Hornbek. Summ. Contr. l. 3. de Muhammetismo.

§. XXXII. ALBANENSES non pauca è Gnosticorum, Apellitarum, Manichæorum, Carpocratianorum, Cerdonianorum, Severitarum lacunis haufertunt. Inter alios errores hic prominet: Christum non pertulisse veras hominis poenalitates atquè illum DEUM esse neque de virgine carnem sumfisse, sed eam, quam habuit de caelo duxisse, neque illum fuisse verum hominem, nec verè comedisse, nec in cruce passum, nec mortuum, neque resurrexisse, neque in caelos ascendisse. Prateol. Elench. hæres. l. 1. p. m. 317. P. 2. Chron. Gvalther.

§. XXXIII. TEMPLARIIS imputabatur, quod Christum ab negarint, quod tamen negavit Magister illorum quidam, qui Parisiis vivus exustus, objecta crimina, ut & errores constantissimè negavit, falsa & commentitia dixit. Prateol. l. 17. p. 762.

§. XXXIV. PETRUS ABAILARDUS, vel ut alii volunt ABELARDUS, & BALIARDUS, vel ADELHARDUS, in Gallia ortum habuit, insignis Philosophus subtili ingenio Vid. T. 7. Concil. Bin. p. 600. Otho Frising. l. 1. c. 47. sub annum 1140. velut Prateol. lib. 14. p. 681. placet, anno 1143. hæresin suam disseminavit. Ex Concilio tamen Svefionensi patet, quod 1136. habitum eum antea jam errorum suspectum fuisse. Sufcicator is veterum hæresium fuisse dicitur Bernhardus teste Epist. 193. Capita præcipua refutat & recenset Bernhardus

*Claræ Vallens. Tom. 4. operum. P. III. edit. Colon. p. 641. cap. 41. Impia Abailardi de S. Trinitate dogmata, & imprimis Spiritum Sanctum non esse de substantia Patris & Filii explodit. cap. 2. docet in Trinitate non admittendam esse inæqualitatem sed omnimodam æqualitatem. cap. 3. absurdum dogma Abailardi, nomina absoluta & essentialia, quæ tribus personis æque conveniunt, uni propriè & specialiter attribuentis oppugnat. cap. 4. Refellit definitionem fidei, quæ Abailardo est æstimatio cap. 7. arguit Abailardum dicentem: Christum non ideò in carnatum, ut hominem liberaret de potestate Satanae. cap. 6. ostendit: In opere redemptionis humanæ non solum misericordie, sed & justitiæ usum. cap. 7. Abailardum perstringit, impiè ac temerè DEI secreta scrutantem & extenuantem. cap. 8. explicat: Quare Christus tam gravem ac laboriosum nos liberandi modum suscepit, cum sola ejus voluntas seu jussio sufficeret. cap. 9. docet: Christum venisse in mundum non solius instructionis nostræ, sed liberationis causa. Vid. Baron. T. 12. ad ann. 1140. 7. Parastata s habuit Arnoldum de Brixia, teste Bernharo, ep. 189. p. m. 81. T. 1. operum. Tom. 7. Concil. p. 601. Baron ad ann. 1140. n. 1. & Spondan. hoc ann. Contra Arnoldum de Brixia graviter invehitur Bernhardus ep. 195. In crucem actus est à Sacrificulis. vid. Aventin l. 6. Anal. Bojor. p. 386. Gilbertum Porretam Episcopum Pictaviensem, qui tamen à Bernharo in Concilio Rhemenfi ann. 1128. convictus palinodiam cecinit. Guido de Castello discipulus Abailardi fuit, postea Pontifex factus nomine Cælestinus, hunc epist. 192, & 195, hortatur Bernhardus, ne errores Abailardi fovere velit. Concilium Svesvionense, anno 1136, & 1140. Contra Abailardum habitum. vid. Tom. 7. Concil. l. c. In Concilio Romano damnatus ab Innocentio II. & ejus scripta in publico, igni tradita sunt vid. Baron. ad ann. 1140. n. 8 seqq. Ejuratis demùm erroribus, Culniaci retinetur à Petro Cluniacensi Abbate poenitentia ibi agens cum Bernharo in gratiam rediit. vid. Petr. Cluniac. l. 5. ep. 3. Baron. l. c. Spondan. Abailardus jussus recitare Symbolum B. Athanasii, inter singultus & lachrimas legit. Oho*

*Frising. l. c. vid. Tom. 7. Concil. p. 600. Post ejuratam hæresin factus est Monachus in deserto, Baron. l. c. n. 9. Prateol. l. 14. Elench. hæres. pag. 681 Tritheim. Chronic. Hirsaug. ad ann. 1140. p. 129. Quamvis nil tale occurrat in Actis Concil. nil etiam in Bernhardi scriptis. Epitaphium ipsius lege ap. Tritheim. l. c. Socinianos hæresin Abailardi & Pelagii suam fecisse totamque potâsse ad oculum jamdudum ostensum est vid. Grot. de Satisfact. Christ. & Voss. respons. adjudicium Ravenspergensis cap. 3. Negare hoc præsumit Ravenspergerus, ajens Socinus non negat Christum pependisse, eamque pensivnem eo quodammodo prodesse, ut nos à pœna mortis æternæ liberaret. Et mox: Nullus Socinianorum negabit, DEUM constituisse, ut Christus pœnas penderet pro peccatis nostris. Sed bene respondit Vossius ex verbis clarissimis Socinianorum hoc patere. Sic enim Socinus part. i. de Servator. c. i. Ego censeo Jesum Christum ideò Servatorem esse, q̄ via salutis æternæ viam nobis annunciarit, confirmavit & in sua ipsius persona, cum vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo manifestè ostenderit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus daturus sit. Divinæ autem justitiæ, per quam peccatores damnari meremur neque illum satisfecisse ut Satisfieret opus fuisse affirmo. Quo cum facit Smalcus c. ii. de Divinitate Christi, & Catech. Racov. c. 8. vide Bald. refut. Catech. Racov. p. 386. Subjungit Vossius: Socinianos dicere, posse quidem unum pro altero solvere mulctam pecuniariam, sed quemque pro altero corporales pœnas subire posse hoc fateri nolunt. Et nonne satis apertè Socinus P. 2. c. 7. de Servat. Nunquam ait, DEUS aliena peccata in quoquam verè punit. & cap. 4. ferre peccatum sæpe idem valere agnoscit, q̄ vod pœnam subire, sed in Christo interpretationem hanc rejicit aliamque subdit de ablatione Peccatorum. Idem passim negat ullum verum pretium, aut quicquam, q̄ vod vero pretio respondeat, intervenisse. Expressè cap. i. P. i. ait: Redemptionem nostram per Christum, factam, esse METAPHORICAM, i. e. in ea peragenda nullum verum pretium intervenisse sive nihil cuique pro nobis solutum esse*

esse

esse — Nihil aliud est *redimere*, quam *liberare*, aut *sibi asserere*, quamvis *veri pretii vera solutio aliqua non imterveniat* — Quemadmodum *Moses DEO* ita jubente *Israëlis* populum potentiò, & autoritate sibi ab *eo* tradita, non *autem alicujus pretii solutione*, ex *servitute* ademit & ipsi *DEO* asseruit: Sic *Christus* *suprema potentia*, & *autoritate* sibi concessa, nos ex *peccati*, & *mortis servitute*, *DEO* ita jubente, *nullo vero pretio cuiquam soluto redemit*. &c. — Perlege omnes locos *Novi fœderis*, in quibus *redemptionis* fiat *mentio*, & *nullum invenies*, ubi de *veri alicujus pretii solutione*, seu de *satisfactione aliqua* evidenter agatur, sed in omnibus manifestè *deprehendes* de *simplici liberatione*, seu *assertione verba fieri*. Advertit porro *Vossius* errorem *Ravenspergeri*, inde *promanasse*, quod non adverterit *Socinum* distingvere inter *afflictionem*, & *pœnam*. Concedit *Christum* pro nobis *afflictum* esse, sed *negat* illam *afflictionem* habere *rationem pœnæ*, quæ ab *afflictione* differt, ut *species à genere*. Sed de his in *progressu*.

§. XXXV. *SERVETUS*, *Hispanus*, blasphemus hæreticus, secutus ex parte *Abailardi* dogmata, sed & *Samosateni*, *Arii*, *Macedonii* & aliorum Vid. *Prateol. l. 17. p. 739. Sleidan. ad ann. 1553. p. m. 352. b. Calvin. ep. 152. 156. Spondan. ad ann. 1553. n. 14.* Ausus est is impudenter asserere: *Christum DEI filium appellari*, quod ex ipsa *DEI substantia* caro ejus in *utero Virginis* concepta & conformata esset. *Baptismum esse* detestandam abominationem, *regni Christi conculcationem*. De *Pecato*, & *justificatione* loquebatur ut *Philosophi* & *Pharisæi*. vid. *Spondan. ex Calvino ad ann. 1553. n. 14.* Ob peccatum *Originis* dixit *neminem damnari*, cum corpore tantum à serpente occupato, anima libera sit, quæ ante 20. annum peccare nequeat. *Homines etiam sine agnitione Christi salvari posse* sub *Evangelio*, & *justificari*. *Turcos* per orationes suas, quæ bonæ sint, *promissiones Christi consequi*. *Spondan. ad ann. 1531. n. 10.* Asseruit insuper, *Legis impletionem impossibilem non esse*. *Bona opera justitiæ esse partem*. Quæ omnia labefactant *meritum* & *Satisfactionem Christi*. *Igni is Genevæ traditus est anno 1553. 27. Octobr.*

Ut autem ad locum supplicii venit, hortante *Gvilielmo Farello*, Christum æternum DEI filium invocare noluit. *Sleidan. l. c. p. 353, a. De Valentino Gentili, Francisco Davidis* aliàs.

§. XXXVI. Claudat pro nunc agmen par nobile fratrum *Lælius & Faustus Socinus*. Vitam horum ex *Socini* scriptis & ex *Anonymi Equitis Poloni* scripto de *vita Socinorum*, succinctè sic habe. *Lælius Socinus*, *Senis* 1525. natus est Patre *Mariano* insigni ICTO. Vix ex ephēbis egressus, novam cœpit moliri Theologiam, Orientalium linguarum non ignarus. Scripturas is ita legit, ut nihil reciperet, quod rationi, & principiis naturæ insitis repugnaret. *Melanchtonem, Brentium, Calvinum, Bezam*, quæstionibus suis multum fatigavit, à quibus sepe objurgationem, pro responso accepit, propter curiosas argutias. Mortuus is est mense Majo Tiguri 1562 anno ætatis 37. *Faustus Socinus* 1539. *Senis* natus, 1604 in Polonia mortuus, patruo suo *Lælio* debuit quicquid in Theologia pessimo hoc manu ductore didicerat: utinam studio Juris is totum se dedisset, cui destinabatur, neque blasphemis suis, & perniciosissimis scriptis Ecclesiam Christi afflixisset. Habuit tamen is sicut alii hæretici deferentes sibi, pessimæque suæ doctrinæ, asseclas: *Smalcium, Enjedinum, Crellium, Ostorodium, Volkeliū, Friccium, Dudithium, Stoinksium, Moscorovium, Pisecium, Joachimum Stegmannum, Goslaviū, Gittichium, Schlichtingium, Ruarum, Theophil. Nicolaidem, Niemojevium, Matthæum Radecium, Sommerum, Lubienjecium, Lublinum, Everardum Spangenbergium, Voidovium, Marcovium, Michael Schefferum, & nuper Baronem Volzogen vid. Comeniū contra Schefferum p. 45. Quo referas tenebrionem, qui nō tam pridem eddidit Irenicum Irenicorum, & Irenecomastig. Corollarii. loco 15, p. 79. hæc de se scribit: Cum sine dubio nosse desideres, Lector,, quis sim & quomodo reformationem Christianismi præterea instituendam esse putem? Breviter ita habe: Me, nec Lutheranum,, nec Calvinianum, nec Remonstrantem, nec Græcum, nec Pontificium, nec Socinianum, nec Mennonitam, nec ullum alium ex,, hodiernis sectis esse hominem; sed, quoniam cum nulla profus,,*

D

earum

, earum communico, omnes verò & singulas secundum divinam  
 , veritatē, cuius unius me alumnus profiteor, reformatas cupio tum  
 , in doctrina, tum in vita, ab omnibus potius odio haberi. Interim  
 , Ecclesiasticos conventus non prorsus averfor neq; sectam Christia-  
 , norum ullam; cum aliquid boni tamen apud singulas invenerim,  
 , adeoq; per ipsas omnes profecerim: à fratribus *Bohæmis* scilicet, &  
 , *Lutheranis*, accipiens reformationis, & libertatis Christianæ initi-  
 , um; à *Calvinianis*, primum rationis usum in Theologia; à *Remon-*  
 , *strantibus*, progressum in libertate conscientiarum; à *Græcis*, verita-  
 , tis antiquæ reliquias, cum Bibliis ipsis & Patribus; à *Pontificiis*; o-  
 , perum bonorum necessitatem, cum Patribus nonnullis Latinis;  
 , à *Socinianis*, iudicandi dexteritatem; à *Mennonitis* demum, vitam  
 , Christi rectius quodammodo, non dicam explicatā sed ad umbra-  
 , tam. Imò (ut mentem meam clarius adhuc aperiam) omnes quo-  
 , que hodiernas Christianorum sectas, sine ullo inter ipsas hic facto  
 , discrimine, Ecclesias Christi esse profiteor: eò, quod omnes æqua-  
 , litè in Christum credant, Christumque pro filio DEI quomodo-  
 , cunque etiam intellecto: nam nec Philippi Apostoli, aut Natha-  
 , naelis, fidem propterea mox rejecit Christus, etiamsi ipsum tantum  
 , cum Judæis pro filio Josephi, non verò secundum veritatem, pro-  
 , genito per Spiritum Sanctum ex Maria virgine agnoscerent. *Job.*  
 , *1. 46.* quin potius fidem illam eorum acceptavit, v. 51, Postquam se  
 , tantum talem filium DEI esse confessi fuerant, qui promissus ille  
 , Rex Israelis esset: v. 50. & etiamsi hodieque non satis Apostolicam  
 , inter Christianos de Filio DEI vigere sententiam, supra, ubi de  
 , longe diversa Petri omniumq; Apostolorum confessione ageba-  
 , tur, monstratum sit: hanc tamen, minimè fidem impedire, si cæ-  
 , tera sese rectè habeant, eodem argumento meritò semper colligi-  
 , mus & credimus: ) capite & Domino suo, recipiant & habeant;  
 , adeoque eo ipso, & per hanc in Christum fidem, filii DEI mem-  
 , braque Christi fiant, oleæque inserantur: prout sequentia loca  
 , clarè

clarè

clare & disertè id ipsum docent & evincunt : *Joh. 1. 12, 13, c. 3, 16, 18. Marc. 16, Rom. 10, 9, 10, 11, 13, c. 11, 20, Act. 16, 31, Gal. 3, 26, 27, 28, 29, 1. Cor. 6, 17, c. 12, 13, 27, &c.* adde locum *Matth. 16, 16, 18*, Ubi Christus super simplicem de se Petri confessionem, adeoque super simplicem in ipsum, ceu DEI Filium, fidem, Ecclesiam suam, se ædificaturum esse promittit, eaque ratione Ecclesiam ex fide ejusmodi confieri & constare docet, Unde porrò necessariò, & invictè sequitur, quemvis Christianorum cœtum, qui Christum pro filio DEI, capite & Domino suo habet & agnoscit, Ecclesiam esse Christi : adeoque, *omnes hodiernas Christianorum sectas*, ita credentes, non vero unam tantum vel alteram, (quemadmodum quidem hæcenus falsò, absurdè & contradictoriè ab altera contra alteram creditum est,) Ecclesias Christi esse. His junge *Jeremiam Felbinger* / per omnia is Græcanica verba N. T. exprimere volens, miram dedit versionem Germanicam. Concordat hæc editio cum *Racoviensi*, quam adornavit *Martinus Ruarus*, quoad sensum ; quamvis non semper quoad verba, notæ etiam plures in hoc codice inveniuntur quam in *Racov.* Non convenit cum *Racoviensi*, quoad quasdam interpunctiones ut *Luc. 23, 4. Rom. 3. 25. Ephes. 2. 16.* Nomina propria posuit, prout inveniuntur in Græco codice e. g. *Jesu Christu / Joannu, Pontios Pilatos / Paulon / Petru / Timotheon, Jacobu / Jakobos / Mattheos Philippos / Alpheo.* Quid hoc etiam Germanicè dictum *Matth. 3. vers. 8.* So bringet nun Früchte die der Besserung werth sind / v. I. in demselben Tagen aber komt Johannes der eintaucher an. vers. 2. den daß Königreich der Himmel hat sich genahet *Marc. cap. 9 & 10.* sie untersuchten mit einander / was ist das Außersehen aus den Toden. vers. 11. und sie fragten / daß doch die Schreiber sagen / daß Elias mus erstlich kommen v. 50. So aber daß Salt unsaltzig wird / in was werdet ihr es würzen / *1. Petr. 5* auch nicht als die über die Loffe herschen etc. Noti insuper sunt *Franciscus Davidis, Blandrata &c.*

§. XXXVII. Historicam hanc narrationem ideò contexuimus, ut ostendam⁹, quales Magistros, & hodie getas habuerit, habeat adhuc *hæresis Sociniana*. Non diffitentur hoc *Sociniani*; Expressè enim *Joachim Stegmann* *Prob der stebenden ursach wieder D. Bottsaccum* cap. 10. scribit: **Es haben sich zu iederzeit Leute gefunden/die nicht allein unserer Lehr (nehmlich der Socinianer) zugehan gewesen sind/sondern auch solche öffentlich bekandt/und gelehret haben. Denn sonst würde man nicht so viel Bücher/wieder sie geschrieben/Concilia, gehalten/und sonderliche Keser titul von ihnen gemacht haben** Die *Basilidianer, Carpocratianer, Gnostici, Cerinthiani, Ebionitæ, Valentiniani, Marcionitæ, Florianer, Archontici, Cerdonianer, Montanistæ, Noëtianer und Arianer* haben vor den *Concilia Niceno* gelebet &c. *Socinus resp. 2. ad Volan. p. 239. ait*: Certum esse *Photinum* ipsissimam suam sententiam, & sermone, & scriptis acriter defendisse, & p. 264 scribit: se sententiæ *Pauli Samosatani, & Photini* de filii *DEI* existentia adherere. *Ostorod. Præf. Instit. German.* scribit: *Photini Lehr (was Christum betrifft) wie aus Historien zusehen durchaus dieselbe ist/welche auch iezund die Unserige.* Non ergo jam agere ferant, quando ipsis objicitur, quòd *Ebionitarum, Cerinthianorum, Arianorum Samosatani, Abailardi, Serveti, Photini &c.* ipsi quoque profiteantur dogmata. Vid. *Calov. Socinian. pag. 2. seqq. Meisn. Consider. Theol. Photin. p. 2.* Fiat collatio, & apparebit inculpationem hanc justam esse. *Satisfactionem* siquidem *Christi* impugnarunt, & negarunt, variis modis veteres hæretici, modo divinam, modo humanam naturam *Christi* negando, negando *Christum* verè crucifixum, passum mortuum esse, ut nos redimeret, negando *Christum* carnem in quâ passus est, adhuc dum habere in cœlis. Negando, *DEUM* verum pretium, & solutionem à *Christo* exegisse. Veteres in *V. T. gratia DEI non salvatos esse &c.* Nonne hæc ipsissima doctrina hodiernorum, *Neophotinianorum* est? Patebit hoc in ipsa tractatione *Heterodoxiæ*. Ex his proclive videre est occasionem foedissimi erroris *Photiniani*, quando *Satisfactioni Christi* vim, efficaciam detracta-

detracta-



destrahunt ipsis suggestisse veteres hereticos. Alias tamen accessisse bene observarunt nostrates I. Absurda quaedam Scholasticorum pronunciata, qui ad Christi meritum, & satisfactionem elevandam, & negandam, ansam dederunt non exiguam, acceptilationem quandam comminiscens, quos suo loco adducemus. Hæc & similia effata Photiniani sua fecerunt, & jam perpetuò illud in ora versant: Satisfactionem non fuisse necessariam, *DEUM* ex sola gratia remittere &c. 2. Impia quaedam Calvinianorum dogmata: Absolutum prædestinationis decretum, ἀλόγιστος Zvingliana. Dogma Piscatorianum & sequacium, Absurdæ phrasæ de remissione peccatorum, quod illa ex absoluta quadam *DEI* bonitate & libera voluntate contingat. Sic enim Calvinus l. 2. c. 17. sect. inquit: Equidem fateor, si quis simpliciter, & per se Christum opponere velit iudicio *DEI*, non fore merito locum, quia non reperiretur in homine dignitas, quæ possit *DEUM* promereri Succini Musculus suo loco alleg. 3. Divinitatis Christi abnegatio. Negatâ jam divinitate *DEI*, Satisfactio Christi unâ neganda est. 4. Præconcepta opinio de operum justitia. 5. Prætextus divinæ gratiæ & misericordiæ, ut defenderent gratiam, negârunt Christi meritum. Contraria enim ipsis videntur: gratis remitti peccata, & ob præcedens λύτρον remitti; cum tamen sint ὑπὸ πολλῶν 6. Speculationes de humanæ intercessionis, & Satisfactionis modo. Vid. Meisn. Anthropol. Decad. III. Disp. 25. quæst. 1. p. 182. seqq. Gerhard. de justifi. §. 36.

§. XXXIIX. Sed jam in tantum occalluerunt Photiniani, ut ipsis etiam Pelagianis, infestiores sint merito & satisfactioni Christi, ipsis Arianis veteribus pejores vid. Smigle c. ref. nov. Monstr. Arian. p. 137. Ipse Pelagius scribit Matth. Vren. Incred. Bar Jesu, sive refut. Catech. Racov. sect. 57. col. 4273. Tom. 9. Bibl. Critic. Non minus quidem à justificatione nostra Christum excludere satagit, neque enim Divinæ gratiæ deberi sinit sed libero arbitrio nostro adserit. Verum quorsum ille? non tamen eo consilio, ut Christum deprimat, minuat, quàm eo potissimum, ut naturam nostram elevet, cæloqve inserat. Neque igitur ille veniam peccatorum nostrorum Christo surreptum it, neqve aliunde eam haberi quam ex Christi beneficio

vult etc: vide etiam Jansen in August. l. 5. c. 6. 7. Quam irreverentè & impiè loquantur de Satisfactione Christi, ex ipsorum scriptis accipe. Author. Catech. Racov. qui Valentin. Smalcius est, Germanico is idiomate Catechesin scripsit, & singularis honorarii loco, Academiae VVitteberg. nun cupavit quo fine, vid. præfat. Facult. Refutat. Catech. Racov. Balduini præmis. Latinitate donata hæc Catechesis ab Hieronymo Moscorovio è Polonica lingua, & Regi Angliæ inscripta est, Latinus tamen interpres, non nulla, quæ nec in Germanica, nec Polonica editione Catechesis extant, mutavit, quod non diffitetur in præfatione Vid. Dedicat. D. Balduini. p. 227, 228. Catecheseos jam nominatæ sententia nostra de satisfactione Christi scripturæ per omnia conformis, vocatur fallax, erronea, admodum periculosa. Socinus l. 3. cap. 10. de servatore, iniquam, absurdam, horribilem blasphemiam, falsam, iniquam, insulsam, frigidam, fœdam vocat. Insolenter & impiè Socinus p. 2. c. 2. de servatore stringit calamum. Non scilicet credendum esse quod Christus loco nostri passus sit, etiamsi verba scripturarum videantur hoc clarissimè asserere, quod rationi nostræ videtur absurdum esse vid. Frantz de sacrif. disp. 17. p. 110. Quam dignè, & reverenter de S. Trinitate, & sic de persona & officio Christi sentiant prodit titulus libelli blasphemii in lucem Racoviæ edendi, qui erat Tormentum throno Trinitatem deturbans. De hoc conatu, & successu juvat audire Iohann. Lætum Compend. Histor. Univers. p. 766 cujus verba sunt. Heresis Sociniane quæ altiores in eoregno radices egit, venenum, publico Comitiorum anno XXXVIII, decreto aliquo modo repressum. Racoviæ ubi sedes mali præcipua, templum, schola, typographia adempta. Ministri oppidi ac scholæ Rectores in exilium acti. Se veritati legum juvenus scholæ, quæ vicinam effigiem crucis, summo prius ludibrio exceptam dejecerat, ansam præbuit. Sanè in tolerabilis perversitas eorum fuerat. Iis planè diebus desudabant in extrudendo pestifero libello, sub titulo blasphemie pleno, Tormentum throno Trinitatem deturbans! miseri mortales dum Deum more gigantum deturbatum pergunt, ipsi sedibus suis admirabili, sed justo Dei judicio exturbati. Errores certè Socinianorum circa meritum, & satisfactionem Christi prorsus fun-

fun-

*fundamentales*, & exitiales sunt, qui ipsum Christianismum convellunt, & verum discrimen, quo Christiani à Paganis, aliisque infidelibus distinguuntur, tollunt.

§. XXXIX Observes etiam, *modum disputandi Socinianorum planè Sophisticum esse monente B. Meisn. Dec. 3. Anthropol. disp. 25 quest. 2. p. 188. Keslr. Logic. Photin. p. 1.*

I. Plerumq̄, tantum destruunt, non extrunt. Ad nostra dicta excipiunt, suam vero fidem stabilire nequeunt. Hinc rarissimè auditur argumentum aliquod *καλασκαλαστικόν*, proferuntur tantum elusiones, & diabolicæ perversiones Sacrae Scripturae. Photinianismi igitur finis intentus est nullus alius quam *Epicureismus*, & *Religionum confusio* 2. dicta *secundaria* fusè examinant, *primaria* leviter tangunt. 3. Pleraque eorum instantiæ non docent, quis sensus sit, sed quis esse possit, quod ut obtineant *α* innumera dicta conglomerant partim ostentationis ergo partim ut à scopo abducatur, & confundatur respondens; partim ut simpliciores aliquid veri subesse putent. β. *Vocabulum quoddam arripiunt*, quod si in alio scripturae textu, pro ratione adjunctorum, peculiarem sensum habeat, mox in dicto, de quo controvertitur, similiter usurpari colligunt. Et hic *Elenchus à particulari*, ipsis est frequentissimus, *Vocula hæc*, sic accipitur in isto dicto, quare similiter etiam in presenti: γ. Si verba sunt nimis clara, transponunt commata, textum novo modo distinguunt, quasdam voces subintelligunt, aliisque modis sententiã corrumpunt, ut alium sensum, quem quis ne per febrim quidem sominare possit, eliciant & hoc est artificium *Ruari*, & *Jelbinger* in versionibus Germanicis Novi Testamenti. 4. *Elumbes rationis consequentias producunt*; Principium enim primum, sumumque ex quo oritur photinianismus, & in quod resolvitur, nullum est aliud, quam *humana ratio*, cum suis regulis, & speculationibus. Produunt hoc suum artificium in *Articulo de S. Trinitate*, sed etiam in hoc nostro de *satisfactione*, emendicatis subsidiolis politicis, juridicis, & sic divina mysteria regulis philosophicis speculationibus vanis, subjecta esse volunt:

Non-

Nonne in hoc negotio *acceptilationem Juridicam* comminiscuntur, ut imaginariam solutionem liberiùs fingere & sic veram, perfectissimam sufficientissimam satisfactionem destruere possint? Verè quadrant in *Socinianos* objurgationes *Athanasii*, quibus petebat *Apollinarium*, in tractatu de salutari adventu Christi p. m. 560. *Responsatis*, inquit, credentes *servari similitudine, & imitatione, & non innovatione h. e. primitiis*. Quà igitur *Christus primogenitus inter multos fratres esse potuit, & primitiæ dormientium, caputque corporis Ecclesiæ*. — Enim verò non venit *divinitas*, ut seipsam justificaret quippe quæ non deliquerat, sed propter nos paupercula facta est, ut nos paupertate illius ditesceremus. At quomodo *verbum DEI paupertinum esse potuit?* inde nimirum, quòd *paupertinam naturam assumeret, eamque pro sua justitia, supplicia toleraturam, licet illa ipsa esset supra homines, & ex hominibus manifestata, ac DEUS planè reddita, eam tamen pro hominibus offerre non detraxerat*. Jam, si *primogenitus factus non est inter multos fratres, quomodò visus est primogenitus ex mortuis?* Cur igitur dicitis, *DEUM per carnem passum esse, & resurrexisse?* O absurditatem blasphemiam, tales sunt *Arianorum temeritates*. Illi enim istiusmodi blasphemiam audacter proferunt, & *filium, DEUM fictitium & assumulatum nominant, cum scriptura doceat, per DEUM in carne ejus passionem contigisse, non DEUM per carnem passum esse*. Quis igitur *consubstantialitatis confessionem prætenditis?* cur in *passionem indivisibile nomen, impartibilem naturam, ineffabilem Deitatem, incommutabilem, inalterabilemque consubstantialitatem deprimitis* — Quod si mors nulla fuit nec resurrectio fuit — Et vos quasi in *isdem scholis (Marcionis, Manichæorum, Samosatensianorum, Photinianorum, Arianorum)* edocti, ea quæ in scripturis reperiri nequeunt, comminiscimi, & instabiles subvertitis. Satis autem est si credamus *is, quæ scripta & dicta sunt (ut ait Paulus) per similitudinem per omnia sine peccato*. Petrus verò: *Christo igitur pro nobis passo in carne & vos eadem cogitatione armemini, & ne amplius pergamus veritatem ignominia afficere*. Et tractatum de incarnatione *verbi DEI* hic incipit *Athanasius*: Olim sanctum Concilium malè habebat *Pauli Samosatensis* seditio, dum magnum illud de Christo mysterium subvertere conatur. Imò etiam nunc malè habet omnes

omnes vindices, assertoresque sanctæ fidei, earundem rerum pesti-  
lens in vulgus blasphemia: maximè tamen illos, qui imbecillo, &  
diminuto sunt ingenio. Res enim magnas, & apprehensu diffi-  
ciles, non nisi fide consequi datur. Atque inde fieri solet, ut ii, qui-  
bus tenues in cognoscendo vires, in ruinam trahantur, nisi ipsis  
persuasum sit, ut in fide permaneant, & curiosas quæstiones aver-  
sentur. Quâ propter à Paulo dictum est, magnum esse citra-  
controversiam mysterium pietatis, DEUM manifestatum esse  
in carne, justificatum in Spiritu, visum angelis, prædicatum in gen-  
tibus, creditum in mundo, assumptum in gloria.

§. XL. Ut verò cuivis obvium fiat, quam *impii & injurii* sint Pho-  
tiniani in *Meritum & Satisfactionem Christi*, acceptilationem suam con-  
fingentes, iterum quam piè, quam reverenter hoc arduum nostræ  
salutis negotium tractet vera, & orthodoxa Christi Ecclesia, sub-  
gemus.

## SECTIONEM. II.

Naturam SATISFACTIONIS, Meriti Christi, ACCEPTI-  
LATIONISQUE Photinianæ commentitiæ ex-  
ponentem.

## §. XLI.

SATISFACTIONIS vocabulum non tam *Biblicum*, quam *Ec-  
clesiasticum* est, quòd inficias non imus, ceu suo loco docebi-  
mus; Quamvis ergo in terminis terminantibus hoc vocabu-  
lum & *ἀπολύσις* non inveniatur; invenitur tamen *res* designata.  
Studiò autem, provida mater Ecclesia, usum ejusmodi ter-  
minorum adamavit scil. *Trinitatis, personæ, essentiæ, Satisfactionis*; isti-  
us modi enim terminis hæretici è latebris extracti sunt, ut alibi  
docetur. *SATISFACERE* cui respondet *ἡκανὼν ποιῆω* Marc. v. 15  
si latius sumatur notabit, *facere totum illud*, quod lex divina postulat  
ad obtinendum jus vitæ æternæ. In lege DEI consideranda est, ex-  
ecratio, cui ea transgressores subjicit; adeoq; nos omnes subjecti  
eramus *Rom. 3. 19.* à qua Christus nos liberavit, factus pro nobis exe-  
cratio, *Galat. 3. 13.* Considerandum etiam est *mandatum*, sub cuius præ-  
stiti

stiti conditione, vita æterna promittitur: hanc conditionem Christus pro nobis implevit, nos per ipsius obedientiam iusti constituimur *Rom. 5. 19.* Quis usus hujus vocabuli apud profanos, & alios scriptores. vide *Jctos, & Valæum T. 1. op. p. 395. 3. Martin. Lexicon. Calov. Socinif. p. 390. prolixè.*

§. XLII. Quæritur hic I. *an aliqua differentia ponenda sit inter Satisfactionem, & meritum Christi.* *Ravensbergerus* videtur differentiam talem admittere nolle, adductus à *Vossio Resp. ad ejus judicium p. 3, Mares. Dissp. Select. de Mediatore p. 594.* Sed sciendum, non tam *dividi* hic meritum, & satisfactionem, quam *distingvi*, sunt hæc duo inseparabiliter quidem *conjuncta*, verum non *merè*, & omnimodè *identica*. Satisfactio Christi, est *ex solutio nostrorum debitorum*, quibus DEO eramus obstricti. Per istam Satisfactoriam exsolutionem nostrorum debitorum, Christus nobis meruit, immunitatem à nostris debitis, & vitam æternam. Meritum igitur Christi præsupponit *Satisfactionem*. Adde, quod Christus ipsi *Trinitati, & non nobis*, licet *pro nobis*, seu loco nostri satisfecit. *At non ipsi Trinitati, sed nobis* meruit. *Benè Suarez T. 1. in III. Thom. q. 1. art. 2. sect. 4.* Meritum, *inquit*, dicit ordinem ad mercedem; satisfactio ad injuriam compensandam. *Vid Feuerborn. Syntagm. 1. p. 3. Disp. 8. §. 9. Voss præf. ad Grot. libr. de Satisfactione \* 3. & in Respon. ad Judic. Ravensberg. p. 3. Becanus de incarn. cap. 15, p. 859, edit. Paris. 1658, Petavius Tom. 4. P. 2. Theol. Dogmat. l. 12, c. 9, n. 1, 2,*

§. XLIII. Quæritur II. *An aliquid discriminis sit inter satisfactionem, & propitiationem?* Ita contendunt *Photiniani. Catech. Racov. cap. 8- p. 242. Socinus in prælect. c. 19. p. 115. & part. 2. de Servatore c. 2, Ostorrod. c. 37. Instit. qui sic inferunt: Aliud est Satisfacere alicui, aliud eum reddere propitium*, cum is qui propitius redditur seu placatur, possit multum de jure suo remittere; cui verò satisficit, nullo pacto de jure suo remittat. Concedimus & nos aliquam differentiam inter *Satisfactionem & propitiationem* interdum esse, *interim* tamen & hoc concedendum erit, sæpe numero reconciliationem, seu propitiationem non fieri nisi parti læsæ jam fuerit Satisfactum, Sic *magistratus* non fit propitius civitati, do-

ti, do-

ti, donec rebelles puniantur. Sic etiam DEUS, justus, in gratiam redire non potuit, donec Christus se interponeret, & propitiatio pro peccatis nostris fieret 1. Joh. 2. 2. Multum ergo de jure suo, quo ad nos, DEUS, remisit, dum peccatores ipsos non punierit, justitiæ tamen suæ satisfieri voluit, & sic Christi pro nostris peccatis præstita propitiatio verè & plenè est satisfactoria. Christus enim *δεξιῶν ἡμῶν* loco nostri, & pro nobis, debita exsolvit, & vice, nostrum divinæ justitiæ plenissimè satisfecit. Vid. *Baldwin. Refut. Catech. Racov, p. 445, Feuerborn. Syntag. 1. P. 3. Dissp. 7. §. 27. Matth. Vren Increp. Bar Jesu. 47, n. 8. 9, Infimatur ergo docente B. Meisn. Consider. Theol. Photin. c. 5. p. 829. propitiationis vocabulo I. Indignatio DEI ob peccata. 2. Ejus placatio, & reconciliatio. 3. facta per Christum 4. effusione pretiosi sanguinis. Nam propitiare nihil aliud est, quam placare, vel propitium reddere illum, qui ante fuit offensus & iratus.*

§. XLIV. Quæritur hic III. *an satisfactio à placatione differat*. Ita censet *Smalcius instant. 6. contra Franz. qv. 5. de justificatione putans Franzium terminos mutare, dum satisfactionem probaturus, de placatione differat* — *Tantum enim abest ut placatio satisfactionem inferat, ut eam plane excludat, Nec enim eum placare opus est, cui quò perfectè satisfaciám habeo, sed cum aliquid deest in solutione, tum placationi solet esse locus.* Hæc ille. Respondet suo more solidè ad hanc instantiam *Franzius Disp. 16. de sacrif. §. 110. Concedens, inter pecora sacrificialia V. T. & homines nullam esse speciei communionem, pecoris mortem, non æquivalenter posse comparari, cum morte hominis, inter hominis, cum deest aliquid solutioni, locum esse placationi. Interim Levit. 17, 1. DEUS ipse hanc instituit viam, & regulam, & ipsi satisfit, ut placetur, quando juxta ejus ordinationem, pecus pro hominibus jugulatur coram oculis ejus, ex consilio ipsius idem est, quando vice hominis pecus mactatur, & qui hac ratione DEUS dicit sese placari, utiqve solutioni nihil deest; Multò magis in Filio suo Domino nostro JESU CHRISTO, DEO & homini hæc firmissimè, verissimaque sunt habenda,*

super eum coniecit DEUS iniquitates nostras *Esaia* 53. vid. *Franz. Diss. XIX. sacrific. §. 120.* Vulneratur ille, quando super eum sunt coniectæ iniquitates nostræ, & DEUS tandem dicit nos esse per mortem filii reconciliatos sibi. *Rom. V. 10.* Nos stamus in revelata voluntate divina, quæ non nisi hoc modo voluit agnosci, Christum pro nobis esse passum. Cæteræ glossæ, quas *Socinus*, & *Smalcius* adferunt, evertunt loca clarissima scripturæ, nec solvuntur per quasi, vel POTUIT, POTUIT. Pensitent intereâ diligenter Photiniani verba *Esaie. LIII. v. 10.* Posuit seipsum sacrificium pro peccato animam suam; neque graventur in hæc verba legere, quæ habet *Cyri. Alexandr. 1. 5. T. 1. in cap. LIII. Esaia p. m. 356.* perinde, inquit, est, ac si aperte dicat: posuit pro nobis animam suam. Christus, sanguine proprio nos redemit, ignominia contemptâ, crucem subiit, ut nobis salutem procuraret. & paulo ante p. 353. passus est non pro seipso (id enim longe abest à vero) sed pro tota sub cœli complexu terra. — Nam cum Legis culcus ad tollendum peccata terræ, in cœlis parum prodesset (non enim DEO placebant boum mactationes & ovium lanienæ) seipsum in odorem bonæ fragrantia pro nobis obtulit, agnus verus, qui tollit peccata mundi. Deinde carnis mortem perpesa, totum orbem sub cœli complexu libera vit à morte & peccato. — Erravimus nos ut oves, Dominus eum tradidit pro peccatis nostris. Erravimus nos à DEO vivente, deficientes, voluptates nostras consecrantes. Atqui universorum Dominus, id est DEUS, & Pater propter peccata nostra, tradidit eum, ut nos à pœna absolveret, & credentes conservaret.

§. XLV. Quæritur IV. An satisfactio & remissio differant? Ita *Socinus' Catech. Racov. etc.* Nos dicimus in *Levit. 4. & 5.* odoris qui vietas Iehovæ, & expiationis (quæ satisfactio est) & simul Remissionis aliquoties fieri mentionem, Ita ut satisfactio statuatur antecedens naturâ aliquid, remissio vero aliquid consequens. Quando victimam mactabatur, & comburebatur, tunc fiebat satisfactio, & ibi quoque fiebat remissio: Non ergo facile separari possunt hæc duo, differunt tamen ut Sol, & lux, sol naturâ prior est, lux posterior: Sic ex satisfactione fluit, aut dependet remissio, vide textum *Levit. 4. 31.* expiabit eum sacer-

sacer-



sacerdos à peccato suo quod peccavit, & remittetur ei. Vulgata posuit rogabit pro expiabit. *Lorinus* sic excusat, & reddit propitiare rogando. Sed כפר in Pihel significat propitiare indulgere, expiare remittere. Perdonare il commesso peccato annular lo pegno rimet terca colpa. Ita *David de Pomis* de Tribu Juda ex Ingenua Pomaria familia, quam *Titus Vespasianus* ab Jerofolyma Romam in captivitatem duxit in הור צמח hac rad. Conf. *Pagninus*, *Avenar*. *Schindler*. *Buxtorf*. rad. כפר *Victor*, *Bythner*. *Lyra Prophetica*. n. 1762 כפר significat expiationem peccati, oblationem, λύτρον quod sceleris operimentum, pretium, quod datur ad avertendam iram. Confer. *Grot.* de Satisfact. c. 10. p. 169. f. Adde, quod satisfactio & remissio simul & semel in eodem negotio consistere possint. Pecori imputantur & in pecore puniuntur peccata hominis peccatoris, quod sufficienter probari potest & tamen ipsi homini dicuntur remitti illa peccata, pro quibus poenam luit pecus. Si ergo in figuris hæc ita se habent, quare in beneficio DOMINI JESU Christi aliter se haberent. Christus enim in se suscepit peccata nostra vitam suam deponit, & ita pro omnibus nobis satisfacit, luit id, quod luere debebamus. Ex hac jam luitione Christi, in nos derivatur remissio peccatorum, tanquam beneficium ex beneficio satisfactiois ultro necessario fluens. Si pecus pro homine debuit interfici *Levit. XI. v. 17.* & si unus hircus pro infinitis hominibus mactatus, satisfecit *Levit. 16.* Cur non & multo magis unus innocentissimus pro salvandis innumerabilibus peccantium myriadibus. *Vid. Franz. Disp. 17. de sacrif. §. 104. f.*

§. XLVI. Antequam pedem ulterius promoveamus, utile est scire, quid negotium satisfactionis ambitu suo contineat. Docet hoc ordine & concinne b. m. D. *Joh. Schmid.* quondam præceptor, & Fautor, meus desideratissimus disp. de satisfactione §. 32. his verbis, quæ integra lubens appono. *Vidit creator DEUS hominẽ post lapsũ æternæ mortis & aëtionis reũ isdẽ pœnis quib9 angeli apostata, obnoxii, nec tn. pro justitiæ suæ zelo & rigore eundem, sicut malignos spiritus, ab omni spe auxiliũ illicò deturbare voluit: misericordia fuit: iniit de instauranda hominis salute, eodemque*

ex vinculis mortis, & in ferni liberãdo salutare cõsiliũ addidit decretũ misericordiã fuit: undiq; media & rationes (humano more hæc dicuntur, θεο-  
 πρετω̃σ̃ intelligenda, vid. Bernhard sermon anunciat. B. Mariæ de ver-  
 bis psal. 85. 11.) conquistæ, quibus, quod clementissimè decretum  
 esset, suo tempore efficeretur, misericordiã fuit. Prodiit æternus  
 Dei filius, & cum per justitiã rationem non nisi obedientiã, pœ-  
 narumq;ue, quas homo meruerat exantlatione mortalium generi  
 reparari salus posset, se humanam naturam assumpturum, in eaque  
 hominum loco legem ex omni parte, tum activè, tum passivè im-  
 pleturum in se recepit: misericordiã fuit & φιλαθρωπία. Placuit in  
 arcana B. Trinitatis sede amoris plenissima oblatio, temperatus aliquo  
 modo justitiæ rigor, facta quædam circa legem pœnalem dispensatio &  
 relaxatio: admissã personã quæ in nocens, & ab omni peccati næ-  
 qvo ab alienissima in eorum locum, qui gravissimè peccãrant, ve-  
 niret, etc: itidem misericordiã fuit. Quæ φιλοσ̃ ανθρωπ̃σ̃ & impiè in-  
 justèq;ue contra universam legem peregerat, Christo, θεανθρωπ̃ω: quæ  
 justissimè optimèq; juxta totam legem fecerat, illi imputata  
 sunt, rursus misericordiã fuit. Quos supplicii mortisque cruciatus  
 homines sine discrimine omnes æternum sustinere debuissent,  
 Christus unus, persona infinita, ad breve tempus, pertulit; quod &  
 ipsum misericordiã fuit, ut ita sola, & una Dei misericordia, gratia, φι-  
 λανθρωπία dilectio in toto satisfactionis opere pro nobis, & in sa-  
 lutem nostram præstito, conspiciatur, regnet, & triumphet, atque  
 ipsum quoq;ue, quod, exigente immutabili justitiã, in proprium fi-  
 lium, ita volentem æternus pater statuit respectu nostri ex misericor-  
 dia factum sit: quò Apostolus Rom. V. 8. respiciens: commendat, inquit,  
 Charitatem suam DEUS in nobis, quod cum peccatores essemus,  
 Christus pro nobis mortuus est: eo ipso quod DEUS proprium fili-  
 um, qui se vadem & sponsoem pro nobis substituerat, postulante  
 justitiæ ratione, in mortem ignominiosissimam tradidit, ergã nos  
 misericordiam & gratiam maximo operè comendavit, declaravit,  
 confirmavit: τ̃ ὁ̃ π̃ε̃σ̃ ἀλλοτ̃ια π̃λ̃σ̃τον̃ Ἰ̃η̃σ̃ χ̃δε̃ι̃σ̃ quodammodo  
 n nos effudit, Eph. 2. 7. Conf. 1. Joh. 4. 9. 10. V. Lomb. dist. 18. art. 5. p. m. 308  
 §. XLVII

§. XLVII. MERITUM & MERERI significationes habent varias, evoluit easdem *Feuerb. Synt. I. Diss. 8. §. 2. Strictè & propriè* sumitur pro *acquirere per modum laboris indebiti*, cui respondeat merces debita, & æqualis. Sic *Thomas de Argentina* compend. Theol. l. 4. c. 15. & l. 5. c. 20. quo cum *Thomas de Aquin. l. 2. quæst. 114. Ludov. Carbon. in compend. Thomæ. ibi. Altensteig. & Tytr. in Lexico. Conditiones meriti*, quæ adferuntur à Pontificiis *partim falsas partim ambiguas* esse ostendit *Feuerborn. l. c. §. 6. p. 700. quibus veras substituit p. 702. & applicat ad meritum Christi p. 714* Meritum Christi est meritum *propriè & accuratè dictū*, quia cōditiones & proprietates meriti propriè dicti, ei verè cōpetunt. 1. Meritū fieri debet non de alieno, sed de nostro. At Christus, propria sua & nō aliena virtute, sanctitate, justitia, obedientia pro nobis satisfecit. 2. Meritum fit non ex debito, sed est indebitum, ita ut præstantes, præstent ad quod ipsi non sunt obstricti, quodque intermittentes, non peccent. At Christus Θεός ὁ ἴδιος & nīl quicquam pro se præstare, & ita aliquid sibi mereri debuit aut potuit. Contra Pontificios *Lombl. 3. dist. 13. Thom. P. 3. q. 49. art. 6. Tanner. in III. P. T. disp. P. I. p. 831. quos ibi citat. Becan. de incarn. quæst. 5. & Manual. l. 3. c. 2. q. 4. Bellarm. l. 5. c. 9. de Christo. Et Calvinianos. Zanch. in confess. Piscat. in explicat. symbol. In medio relinquit Junius adversus Bellarm. Non activam obedientiam pro se ipso præstare debuit ipse enim infinitus DEUS, Dominus est legis & quidem juxta suam Deitatem. Non passivam obedientiam pro se debuit; Neque enim cum esset innocens mori debuit. 3. Conditio meriti propriè sic dicti est hæc, quod meritum & merces inter se habere debeant æqualitatem. Benè sanè, quadrat in meritum Christi. Æqualitas certe est inter meritum Christi, & inter mercedem nobis ab ipso promeritam, imò meritum Christi mercedem longissimè excedit & supergreditur. Infinitum enim meritum, infiniti est valoris, infinitæ efficaciam. Ita ut meritò quidam Pontificiorum hic striglim mereantur, negantes Christi meritum infiniti fuisse valoris, non esse æqualem offensæ. Sic *Scotus in 3. dist. 19. qv. 1. & alii quos citat Becanus de incarnat. p. 848, quibus cum facit Medina de pœnit. tr. 3. q. 3. p. apud Tanner. disp. Theol. de incar. in III. P. Thom. disp. 1 p. 785**

Vide. -

Videtur quidem hanc sententiam impugnare *Adam Tannerus* T. 4. *Theol Scholast.* Disp. 1. q. 2. Dub. 7. num. 71. s. ait tamen n. 95. absolute loquendo ad satisfaciendum pro peccatis toti humani generis etiam secundum perfectam æqualitatem, opus non fuisse infinito valore satisfactionis, sed ad ejusmodi satisfactionem sufficere potuisse opera Christi, quamvis re ipsa solum haberent valore simpliciter finitum V. eund. *Disput. Theol. in 3. Part. Thom. Disp. 1. de incarnat. n. 13. p. 788.* Et hæc est eodem adnotante, sententia *Svarezi Vasquez, Albertini.* Adhibe si placet *D. Feuerbor, Syn. 1. p. 717. Dorsch. Detect. M. Fid. 1184.* Vapulant præsertim priores ab ipso *Becano l. 1. de incarnat. c. 10. & Petav. Dogmat. Theol. Tom 4. p. 2. l. 12. c. 9.*

§. XLIIIX. ACCEPTILATIO imaginaria solutio est, ficta solutio *Spigel Lexic. Jur. hac voce.* & opponitur veræ ac reali. Talẽ acceptasse DEUM Patrem. Christum præstitisse talem. *Sociniani* statuunt. Sic n. *Socinus P. 4. cap. 1. de Servatore* : *Quid aliud apud Jurisconsultos unde hæc loquendi formula desumpta videtur : Acceptum ferre significat, quam pro soluto habere, licet verè solutum non sit ? Quid aliud est ipsa Acceptilatio, quam, per sola verba obligationis liberatio ? Quam quidem obligationem prius verbis contractam fuisse oportet sed hoc nihil ad rem. Satis enim est in acceptilatione per sola verba debitorem liberari. Quod si vel ipse, vel alius pro eo reverà solvat, acceptilationi nullus est locus. Nullo igitur pacto ea verba sustineri possunt, videlicet, acceptum alicui ferri, quod, alius pro ipso solvit ; sive acceptum ferre propriè accipias, ut modo exposuimus sive valde impropria quædam significatione usurpes, ut nos ipsi antea fecimus : id est, pro eo, quod vulgo dicimus acceptare. Impudenter ergo negat *Crellius* contra *Grotium, Socinum* non statuere acceptilationem. Vid. *Essen. de Satisfact. l. 2. c. 5. p. 485.* qui ostendit omninò *Socinum* acceptilationem statuere. Et vel centies in scriptis *Socini, Smalcii, Ostorrodi, Gittichii, Schlichtingii* invenies : DEUM velle nobis peccata condonare nulla tamen pro iis vera Satisfactione acceptâ. Si non vera erit solutio, ergo imaginaria, & sic acceptilatio. Usus hujus vocis hac in materia, in Orthodoxis improbat. *Vossius de vitiis sermonis p. 141. Grotius de Satisfact. putabat.**

Soci-

Socinum vocem *acceptilationis* primum hac in materia usurpasse, verum ostendit ipsi *Ant. Valæus* Tom. 2. op. p. 408. in epistola ad ipsum perscripta. *Theodorum Bezam* jam ante Socinum, aliquoties usurpasse hanc vocem, in libello de justificatione per solam fidem subjungit hæc verba: *quam rectè judicent ii, quibus proprius hujus usus est cognitus, ego, quid factum sit ab eo, non quam rectè factum sit, judico.* Agnoscit *Grotius* se errasse, & pollicetur in *Epistola responsoria ann. 1615.* apud *Walæum* l. c. p. 409. se hunc locum correcturum esse. Datâ hac occasione, sciendum quod *Hugo Grotius* laudabili studio materiam de *Satisfactione Christi*, vindicavit à strophis Socinianorum, imprimis è jure petitis, quo nomine, exiguam laudem reportat, ab ipso *Walæo* l. c. & *Johan. Polyandro*, cujus hoc rescriptum: *Disputationē tuam adversus Socinum, non minus aptis, & homogeneis, quam eruditis & solidis argumentis, perspicuisque diversarum vocum & Phrasium interpretationibus exornasti, ex quibus sicut te legum divinæ & humanæ, linguarumque peritum: Sic Socinum aut earum fuisse imperitum, aut si eas intellexit, veritatem sibi cognitam, in adu detinuisse.* Tale Judicium *Antonii Thysii*: *Socinianas hypotheses, argumenta & Sophismata ex lingua Hebræa, Græca, Latinaque proprietate Sacrae Scripturae testimoniis, Philologorum sermocinationibus ac Philosophorum ratiocinationibus, atque juris Naturalis gentiumque & civilis collatione & consensu eleganter & solide refutat.* Plura judicia de hoc scripto collegit *Vossius* in præfat. *Respons. ad judic. Ravensperger. Rivet. Apol. pro vera pace Ecclesie* §. 14. doctum & elimatum opus vocat. Optandum verò foret, ut per omnia *cautius & magis orthodoxè* locutus fuisset, quàm quidem factum est. Plurima certè sunt, quæ laudata jam Epistolâ, in scripto jam nominato desiderat ipse *Walæus*, respondet adhæc ipse *Grotius* sequenti Epistolâ, ita tamen, ut non undiquaque satisfaciat lectori, præsertim in ejus animo insedit suspicio in constantiâ Religionis Grotianæ in Religionis negotio. Videtur sic egisse causam contra Socinianos, ita tamen, ut

Fol. 41. r. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. inter

interdum ipsis aliquid detulerit. Respondit Anno statim 23 Crellius, Grotio, sed ab isto tempore nil adversario suo reposuit, cum tamen viginti annos circiter adhuc in vivis esset, quinimò multas easque non leves suspiciones conspirationis cum Socinismo, quin et semi-Iudaismo præbuit, lege modò Annotat. ejus in V. T. quibus cum confer D. Calov. meletemata contra Grotium. Ob has causas ipse Rivetus non parvam suspicionem concepit de Grotio, eum favere Socinianis Legeram scribit n. 14. l. c. in declamatione de pietate cord. Holland. Grotii Judicio, Socinianam heresim talem esse, ad cujus mentionem pii omnes exhorrent. Legram ibidem Grotium Samosatani, Serveti, & Socini FURORES detestantem. Sed postquam vidi eum de his mitius loqui, eos excusare hæreticorum quorumcunq; in Christianismo culpam elevare, in his etiam erroribus qui apud æquos Judices facile possent sacra autoritate aut veterum consensu revinci, non solum eo nomine, quod magna sit vis inolitæ opinionis, & quod libertatem Judicii minuatur in suam cujusque sectam studium, sed etiam, quod quanta sit hæc culpa pendeat ex modo illuminationis, et aliis animi dispositionibus quas homini pernoscere non est datum: fateor me in suspicionem adductum fuisse quod illis hominibus aliquantum faveret: In qua opinione magis confirmatus fui, postquam vidi eum tantopere de Serveto fuisse sollicitum, cui non amplius furores tribuebat ut antea, sed eum & similes excusabat ex difficultate dogmatis de Trinitate, in quo proclivis est error. Lege porro §. 16. Διαλωσ. Discus. Grot. sect. 1. §. 15. Unde non immeritò Ravenspergerus calamum stringit in Grotium cujus verba adducit Vossius in Resp. ad Judic. Ravensperg. p. 80. Hic, inquit, nisi me fallat conjectura in gravem apud Theologos reprehensionem incurret Dn. Grotius, quod ipse Jurisconsultus magni apud omnes nominis, advocatum acturus, fidei Catholicæ, illud adversario suo Socino largiatur, quod hætenus sincerorum Theologorum nemo largitus est, scilicet DEUM non accepta satisfactione fontes dimittere impunitos potuisse. Liberalis sit Dn. Grotius erga adversarios suos in causis forensibus: In causis Theologicis ultra quam justum & æquum est liberalem esse, est veritatis causam prodere. Quæ responsionis loco ibi adfert Vossius nihil faciunt pro excusanda heterodoxia Grotiana.

§. XLIX. Qualem censuram mereatur Grotius à *Wala* cepimus dicere, percurrit istotum tractatum *Grotij* in eòq; seqq ubi secundum numerum paginarum observat sequentia, ea in gratiam eorum quib9 libri copia non datur his dam9: *Initiò* observat in designatione materiae, non haberi rationem obedientiae activae, quam Christus legi praestitit, quae tamen necessaria fuit. Respondet ad hoc *Grotius* non satis genuinè: Obedientiam activam peculiarem locum habere in impetranda gloria, καὶ ἰσοθωμία τῆς Christi meriti vim habere, passionem vim satisfactoriam. Sed quis Orthodoxorum sic locutus est. Vide si lubet *Carpzov. Isag. p. 185.* Pergit *Wala*; In explicatione materiae satisfactionis, quaedam & alibi passim occurrunt subinde voces quae vim μετὰ τὸν non satis attento lectori prima sui specie suggerunt. Quemadmodum pag. 5. Vox *Conabimur* videtur esse hominis de argumentorum suorum firmitate diffidentis. pag. 11. mors Christi dicitur sustulisse impedimentum, DEI nimirum ad puniendum peccatum propensionem, quae vox meo iudicio levior est, quam ut gravitatem irae DEI adversus peccata hominem exprimat. pag. 49. non nihil solutionis. Denique monet *Causas* exigendae poenae non tam extra DEUM ponendas esse, sed & in ipso DEO, quatenus in ipso sit naturalis justitia. Ad hoc sic respondet *Grotius* ut non longè videatur à castris Socinianorum abesse, quo cum facit hyperaspistes eius *Vossius* cap. 28. qui (irrito tamen conatu) probare contendit, non aliam Dd. Ecclesiae necessitatem satisfactionis agnovisse, quam ratione divini decreti. Cum tamen divina natura tam exactae puritatis sit, ut peccatum & impuritatem ferre non possit. Posito ergo peccato & reatu hominis, etiam veracitate DEI circa latam sententiam damnationis morte morieris, Posita justitia DEI vindicativa, quae proprietas DEI essentialis est, non tam effectus ej9 voluntatis secundum mentē *Socin. Smalz. p. 64. Socin. c. 1. & Part. III c. 1*

Posita inquam iustitiâ hæc vindicativa, quæ non potest peccatum dimittere inultum. *Prov. 17. 5.* Denique posita φιλανθρωπία DEI, non relinquendi hominem citra remedium, qualiter relictæ sunt Dæmones. Ex suppositione inquam incarnatio & satisfactio conveniens & necessaria fuit. Vid. b. m. D. *Hülseman. Breviar. de missione Redemptor. I. C. supplem. cap. 7. §. 2. & Vindic. §. 37.* Observat desideratissimus Præceptor meus §. 36. *Grotium cap. 6. & Vossium in Respons. ad iudicium contr. a Ravensberg. c. 28. 29.* imprudenter concedere, quod *Stephanus Curcellæus Arminianus* de jure DEI in creaturas contra *Szydlovium c. 5.* evincere conatur, DEUM jure absoluto, potuisse condonare homini offensam neq; requisita, neque acceptata ulla satisfactione, ideoq; Christi satisfactionem non solum, quo ad Christum libere hoc onus in se suscipientem esse puram arbitrariam, sed etiam respectu læsæ à Protoplastis Majestatis divinæ fuisse purè talem, ideoq; non esse absolutè, de rigore æquipollentem, sed ex contractu, & conventionem inter DEUM & Christum haberi pro æquipollente.

Animadversionem etiam meretur *Grotius*, quod, cum capite I. de satisfactione contra *Socinum*, ostendisset ex *Esaie. LIII. v. 6. 7. seqq.* & aliis manifestum esse, quod impunitas peccatorum nostrorum, non solum sit finis intentionalis mortis Christi sed etiam effectus meritorius, postea in *Notis. ad V. T.* subjectum de quo *LIII.* agitur detorquet ad *Jeremiam*, eò quod cap. II. 8. se quoq; ovem innocentem vocarit, omniaque ista prædicata potius *Jeremie*, quam *Christo* congruere, quod tamen contra expressam literam *Act. 8, 34.* est. Vid. *D. Schmid. de satisfact. §. 8. Hülseman. l. c. §. 39.* Hactenus de *Grotii* tractatu.

§. L. Cum vero acceptilatio terminus sit Juridicus inde etiam ejus explicatio petenda erit. De acceptilattone Vid. *Instit. l. 3. tit. 30. quibus modis tol. obligat. ff. l. 46. tit. 4. Cod. l. 8. t. 44.* prætereà aucthores qui in hunc tit. scripserunt quos adducit *Christinaeus Decis. Cur. Belgic, Volum. 4. tit. 44. p. 217. decis. 128. & sunt. Cujac. l. 5. obser. c. 36. tit. 15. c. 16. Hottoman. l. 3. obs. c. 18. Illustr. quest. Alciat. πρῶτῃ, §. γ. quibus adde Lexicon Calvinii. Spiegelii. Hottoman. Martini & :  
We, 10-*



*Wesenbec. & Bachov. & Hahnium in ff. l. 46. 4. Tholosan. Syntag. Jur.*  
*l. 21. c. 19. Borcholt in l. 3. Instit. p. 278. Joh. Goed. de stipulationibus passim.*  
 De hac acceptilatione sic sentiunt ICTI Acceptilationem non esse  
*origine juris gentium, quia jus gentium tam exactam formam, & con-*  
*ceptionem non attendit, habere ergo à jure civili, ut & suam essen-*  
*tiam lib. 46. tit. 3. l. 107. & Gotofred. ib. Goëdd. de stipulat. p. 101. Erasm. Un-*  
*gepauer Exercit. Justinianor. XI. p. 508. Solutio est naturalis Datio:*  
*acceptilatio civilis. l. d. & Gotofred. ib. Erit ergo acceptilatio definiente*  
*Modestino l. 2. Regul. l. 46. ff. tit. 4. liberatio per mutuam interrogationē,*  
*quæ utriusq; contingit ab eodē nexu solutio. Vide quæ huc notat Dn. Hahn.*  
*p. 916. Ut solutio est naturalis, ita acceptilatio est civile inventum &*  
*quæ imaginaria (circuicione facta qua sæpe opus) solutio. Nam quemad-*  
*modum stipulatio omnem obligationem, ita acceptilatio omnem*  
*liberationem civili quādā ratione complectitur. Monet etiam ibi*  
*definitionem de acceptilatione non de simplici, sed quæ conjuncta*  
*est cum Aquiliana stipulatione intelligendam, & de contractibus*  
*utrinque obligatoriis, in quibus uterque obligatur, & contingere*  
*potest, ut uterque liberetur. c. si primus debeat secundo 100. ex*  
*locatione, ille vero ei iterum ratione impensarum quid debe-*  
*at deductā locatione in Aquilianam stipulationem potest dein-*  
*de utrinque fieri, atque sic mutua obligatio, quia sic & u-*  
*terque ab eodem nexu liberatur. Non est ergo pressè loquendo*  
*acceptilatio, stipulatio, licet instar stipulationis per interrogationem*  
*& responsionem concipiatur, nec aliter quam per hanc*  
*conceptionem expediatur; proprie igitur per hanc finitur*  
*obligatio verborum. Goed. de Verb. & Res. significat. p. m. 1020. & de*  
*contrahend. & committ. stipulat. cap. 12. 3. conclus. pag. 967. Nec etiam*  
*proprie loquendo contractus erit. Acceptilatio enim non est con-*  
*tractus nec stipulatio, sed eam tollit & corrumpit, ut aliud generet liberatio-*  
*nem scilicet, scribit Goed. de contract. & com. stipul. cap. 1. pag. 67.*  
*Quando ergo Lessius de justit. & jure l. 2. cap. 15. Dubitat. 1. pag. m. 161.*  
*& seqq. edit. Lugd. 1653. & Vincent. Fulliucius Synops. Univers. Theol.*

*Moral. tract. 39. cap. 5. pag. 640.* acceptilationem contractum esse dicunt, vocabulum paulo *laxius* sumunt ut etiam comprehendat donationem, promissionem acceptarum, ut patet ex l. *Contract. 16, C. de fide instrum* & sic non distinguitur à pacto, *Pactum* vero docente *Lesio* l. c. pag. 162. h. ut jure civili robur obtineat vestitur sex modis. 1. *Reipsa* ut si ex altera saltem impleatur. 2. *Verbis*, ut si accedat formula stipulationis. 3. *litteris*, ut si litteris fatearis tibi esse satis factum tiam si satis factum non sit, quod vocatur acceptilatio. 4. *Specifico nomine contractus*. 5. *Cohærentia* cum contractu vestito ut si vendam tibi domum mille aureis, cum pacto ut illam adhuc inhabitem. 6. *juramento*, confirmat enim pactum nudum.

§ LI. Differt acceptilatio à novatione. Acceptilatio tollit priorem allegationem; novatio vero est, *Ulpian. l. 46. ad Sabin. ff. 46. tit. 2. l. 1.* prioris debiti in aliam obligationem vel civilem vel naturalem transfusio, atque translatio, si persona debentis mutetur delegatio erit. Est ergo delegatio novationis species *Goedd. de Contr. Comit. stipul. p. 302.* Sed quamvis delegatio liberet ab obligatione, tñ. nō est imaginaria solutio, formam quoque diversam ab acceptilatione habet Vid. *Dn. Hahn. ad ff. 46. t. 4. q. 17.* Est ergo delegare *Goeddao de stipul. p. 30. 6. n. 107* vice sua alium reum dare creditori l. *delegare de novat. l. 1. § l. 3. Cod. de novat.* Apocha est quæ soluto pretio liberat *Hahn. l. c. & Gothofred. l. c. ad tit. 4.* Confer. *Grot. de satisfact. p. 6. & Essen. satisfact. pag. 576.* pertinet etiam hoc ad quidditatem acceptilationis, quod *acceptum rogare* dicitur, qui debet, *acceptum fere*, cui debetur. *Wesenbec. Parat. ad ff. 46. tit. 4.*

§, LII. *Causa efficiens acceptilationis* est voluntas benigna creditoris. *Wesenbec. l. c.* Materia est verborum obligatio; acceptum enim ferri non potest, nisi quod verbis contractum; nam acceptilatio verborum obligationem tollit, quia & ipsa verbis perficitur, quod autem verbis non est contracta-

tra-

tractum, tolli hoc modo nequit l. 8. §. 3. acceptum differt à solutione quod ea fiat re, acceptilatio verbis. *Christinaeus l. c. p. 217, n. 4.*

§. LIII. *Forma acceptilationis hæc est ex Ulpian. l. 6. seqq. quod ego tibi promisi habesne acceptum & creditor respondeat: Habeo Accepta facis decem; ille respondet facio* *VVesenb. l. c. Tholoson. 21. 19. 20.*

§. LIV. *Finis & effectus est, ut quasi solutione facta omnis tollatur per acceptilationem obligatio atque actio* *VVesenb. l. c. Filiuccius explicatius l. c. tollit actionem realem, personalem, mixtam. Christinaeus l. c. p. 217. n. 2. Non sic inutilis acceptilatio, quæ liberationem non adfert. Gædd. de verb. & Rer signifi. p. 1020. Tholo. l. 21. 19, 2. Gothofred. l. c. ad l. 8, Ut autem liberatio aut acceptilatio efficax sit, requiritur, ut acceptilatio cum obligatione consentiat, sicut, nisi verum sit, quod acceptilatio demonstratur imperfecta & inutilis, sic liberatio per leg. 14. Nisi consentiat de acceptilatione, ex defectu materiæ cui ipsa acceptilatio, seu liberatio applicatur.*

§. LV. *In satisfactione Christi Acceptilationem talem locum habere non posse ex sequentibus patebit. Memores sint Sociniani in antecessum, se ex eo capite inter alia oppugnare veram satisfactionem Christi, quod vox Satisfactionis in terminis non reperitur in scriptura, de quo suo loco Non ergo ijs displiceat nos hoc titulo rejicere commentitiam eorum acceptilationem, non enim talis quoad verbum, nec quoad rem invenitur in Scriptura S. neque etiam apud ICTs usurpatur aliter quam de liberatione in debitis pecuniariis Vid Grot. de Satisfact. p. 96. Sibrand. Lubbert. de servat. contr. Socin. p. 456. Sed videamus.*

§. LVII. *CAUSA MEFFICIENTE M Acceptilationis. Juris periti dicunt esse benignam voluntatem creditoris Nota hic: creditorem considerari, ut creditorem, non verò, ut rectorem, vel iudicem. Hunc autem respectum, a. n. e. C. a. o loquendo, habere DEUM*

in hoc negotio, patebit inferius. Nota & *jus crediti*, aliud esse, quàm *jus poenas* infligendi. Remittit creditor de jure suo, quia privatus, & sine læsione tertii, id facere potest. Non procedit in nostra de satisfactione Christi materia. Dicimus & nos *Causam* efficientem satisfactionis esse DEUM, *φιλανθρωπία* DEI & Christi, ita tamen hæc misericordia divina deprædicanda est, ut justitiæ quoque sua gloria salva sit, & rursus rigor justitiæ sic exaggerandus, ut tamen misericordiæ locus suus relinquatur. Dicimus ergo: *Causam efficientem DEUM esse*, Scriptura teste, DEUS verus is & Trinus est *Esa 53. 4.* Omnium nostrorum peccata in illum fecit incurrere *Rom. IIX. 3.* Quod legi erat impossibile, in quo infirmabatur per carnem, DEUS fecit, misso filio suo in similitudine carnis pati 2. *Corinth. v. 18.* DEUS reconciliavit nos sibi per Jesum Christum, deditque nobis ministerium reconciliationis. DEUS erat in Christo mundum reconcilians sibi *Joh. 3.* DEUS filium suum unigenitum dedit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat sed habeat vitam æternam. *Filius DEI* Patris se sponte obtulit ad exequendum consilium *Psf. 40. 8.* Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam DEUS meus & legem tuam in medio cordis mei. *Esaie 53. 10.* Posuit pro peccato animam suam *cap. 50. 6.* Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus &c, *Joh. 10, 18.* Nemo tollit animam meam, sed ego pono eam à meipso *Galat. II, 20.* Christus dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Spiritus S. in tempore misit Christum secundum h. n. *Esaie XLIX. 16.* Dominus DEUS misit me (Messiam) & Spiritus ejus. Vid. huc *Dorscheum. P. 2. Theol. Zanch. Loc. 2. §. 59. p. 239. Müller Judais. p. 1178. König. Cas. p. 135.* unxit *Esaie LXI 1.* Spiritus Domini super me eo quod unxit me *Luc. IV. 18.* sine mensura. *Joh. 2, 34.*

§. LVII. Opus satisfactionis, Redemptionis, *opus est ad extra*, & sic indivisum, servato tamen ordine, ut ut solus Filius DEI assumerit in tempore carnem, & homo factus sit, ut exequeretur  
ma-

magnum nostræ redemptionis & salutis opus, hinc alia eaque singulari ratione noster *Redemptor* & *salvator* dicitur, quam *Pater*, & *Spiritus Sanctus*, Satisfecit autem (ut omnibus Orthodoxis notum est, non tantum *secundum humanam*, sed etiam *secundum divinam naturam*; est enim actus officialis, in quo unaquæque natura agit quod sibi proprium est cum alterius tamen communicatione agit non separatim, sed conjunctim, quamobrem tam ipsæ actiones, quam effectum inde productum, toti personæ, non secundum alterutram, sed ædum utramque naturam tribuuntur: ut *Christus est noster Mediator*. *Redemptor Salvator, justificator*. Audi *Leonem epist. 10. ad Flavianum*, cujus verba hæc sunt c. m. *Agit utraq; forma, cum alterius communione, quod proprium est verbo scilicet operante, quod verbi est & carne exequente, quod carnis est*. Lege seqq. lectu dignissima, *Vigilium* l. 5. Pro vocabulo  $\mu\omicron\sigma\phi\upsilon$  substituit *Damascenus* p. 3, c. 15, 19. de O. F. nature vocabulum  $\epsilon\nu\epsilon\rho\gamma\epsilon\iota$   $\acute{\alpha}\nu\alpha\tau\epsilon\rho\alpha$   $\phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$   $\epsilon\nu$   $\lambda\omicron\gamma$   $\chi\rho\iota\varsigma$   $\omega\mu\epsilon\lambda\acute{\alpha}$   $\tau\omicron\varsigma$   $\delta\epsilon\lambda\epsilon\phi\varsigma$   $\kappa\omicron\iota\nu\omega\nu\iota\alpha\sigma$ . Non inquam separatim *Damasceni* verbis utor l. 3, c. 14, *Asserimus unum eundem Christum & volentem, & agentem naturaliter secundum ambas naturas, ex quibus & in quibus est & quæ ipsæ duæ nature sunt Christus DEUS noster*. *Dicimus autem velle, & agere, non divisim sed conjunctim*. Vult enim & agit utraque forma cum alterius cõmunionem. *Contra Pontificios Stancarum, Photinianos* de quibus suo loco. Vide interea *Feuerbor* s. 1, p. 567, 673, 687, 714, *Petau* T. 4, p. 2, op. p. 147, seqq.

§. LIIIX. *Causa προθυσμίου* quâ DEUS interius suo modo ad satisfactionem permotus est, est misericordiâ DEI, &  $\phi\iota\lambda\alpha\nu\theta\rho\omega\mu\iota\alpha$  Christi. Huc pertinent dicta classica de misericordiâ DEI loquentes *Exod.* 34, 6, 7. *DEUS* misericors, clemens *Luc.* 1. 78. per viscera misericordiæ *Rom.* XI, 32, *Joh.* XV, 12, Hoc est præceptum ut diligatis vos invicem sicut dilexi vos. *Majorem dilectionem* habet nemo, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis *Galat.* II, 20, *Filius DEI* dilexit me & tradidit semetipsum pro me *Apocal.* I, 5, *Christus* dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem *Eph.* 5, 2, 1, *Joh.* 4, 10, *Christus* dilexit Ecclesiam,

& seipsum tradidit pro ea. Huc referunt aliqui *Iustitiã Dei. Vid. Esfen. de Satisfact. Contr. Crell. p. 7. Commo. de tamen referri huc, scilicet ad causam*  $\pi\rho\omicron\mu\gamma\delta\mu\epsilon\iota\nu$  non potest. Habent quidem verba sunt *D. Schmidii b. m. §. 31,* maxime sapientia & Iustitia in hoc stupendo mysterio partes suas, sed ad  $\pi\rho\omicron\mu\gamma\delta\mu\epsilon\iota\nu$  efficientem, quæ Deum ad procurandam pro perditis hominibus satisfactionem) quæ tota quanta quæ respectu nostri gratuitum beneficium est (interius moverint, commode referri nequeunt; *iustitia* enim nequaquam ad conferendam peccatoribus gratiam sed poenam potius irrogandam impellit, *sapientia* verò singula quæ Deus vel misericorditer facit, vel Justè operatur, ordinat & disponit. Interreâ tamen *miseriordia* non exclusit *Iustitiam*, sed intercescit tale *temperamentum*, ut Iustitiæ Dei satisfaceret, et misericordia quoque obtineret ut & superiori dictum.

§. LIX. Accuratè de hoc negotio. *D. Hulseman. Breviar c. 7. de persona & officio Christi §. 1, 2,* Causa impellens, *inquit DEUM,* ut mitteret Redemptorem hominibus, ex parte DEI nulla alia fuit, quam  $\phi\iota\lambda\alpha\nu\theta\rho\omega\pi\iota\alpha$  offensi Numinis, quâ stimulante, cogitavit de medio reconciliandorum. hominum, & medium de suo subministravit. Neque demonstrari potest ex Scriptura Sacra: DEUM ex plenitudine potestatis abstracta  $\phi\iota\lambda\alpha\nu\theta\rho\omega\pi\iota\alpha$  suppeditasse reconciliatio- nis medium aut filium DEI nondum destinatum ad officium Redemptionis, intercessisse, ut mitteretur vide *Ezech. XVI, 5, 6,* Mis- sio, & Filii ejus datio in mortem, est effectus *universalis dilectionis* DEI, erga universum mundum *Joh. III, 16,* *Ordo salvationis est: DE- US* qui dives est misericordiâ propter nimiam Charitatem, quâ dilexit nos, cum essemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Christo etc. *Eph. 2, 4, 5,* *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis illum tradidit etc. Pergit iam laudatus author: Potuit DE- US,* salvâ Iustitiâ vindicativâ, eligere & ordinare satisfactionis me-  
medi-

dium, idque de suo largiri *Rom. III, 24, 25.* justificamur gratis gratiâ DEI per redemptionem factam in JESU Christo quem proposuit DEUS propitiatorium. Quod ergo DEUS propitiatorium voluit proponere, gratiosâ hoc ejus benevolentia tribuendum, ut demonstraret, & justum sese esse in vindicandis peccati, & nova quadam ratione justificare homines, acceptata videlicet, iisque imputatâ aliena satisfactione v. 26. & pro hominibus à Christo satisfactionem accipere vid. *Esaiæ LIII. 4. se. 99* Nos reputavimus eum &c. *2. Cor. V. 15, 25.* DEUS intendens reconciliationem hominis ex affectu charitatis ordinavit hoc medium, ut eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum faceret ut nos efficeremur justitia DEI in ipso.

Quantum vero ex Scriptura S. constat, volvas, revolvias eam, quantum voles & invenies quod DEUS salvâ veritate & justitia sua humanum genus citra omnem satisfactionem absolvere à culpa & in gratiam recipere non potuerit. *Genes. 2. 17.* Quâcunque die comederis de arbore illa, morte morieris. *Num. XXIII. 19.* Non DEUS quasi homo, ut mentiatur, &c. *Actor. IV. 12.* Non solum in alia nulla persona, sed etiam in alio remedio reparari salus potuit, quam per Christi passionem & mortem. *Ebr. IX. 12.* sine effusione sanguinis nulla remissio peccatorum. *Num. XIV, 18.* Est quidem misericors DEUS, sed nullum insontem declarat sine interveniente satisfactione. Non igitur sic & in eum modum benigna voluntas DEI Causa efficiens est satisfactionis Christi, qualiter est benigna voluntas Creditoris. Quod observandum contra Photinianos, Scholasticos, Grotium, qui cogitationibus suis nimium indulgentes, putant DEUM aliam salutis viam incruentam invenire potuisse; non esse aliam satisfactionis necessitatem, quam ratione decreti divini, non habitâ ratione veritatis, justitiæ, puritatis DEI. Vid. *Grotium cap. 5. & Voss. Resp. ad Judic. Ravensberg. pag. 79.* *Episcop. Instit. l. 5. cap. 3.* Legem DEI positivam, & sic etiam in se

quoad valorem satisfactionis relaxabilem dicit Grotius c. 3. de quibus suo loco. Concludimus verbis accuratissimis B. Hülsemanni §. 4. Quamquam persona satisfaciens & medium satisfaciendi sic constituta sunt ex favore DEI non tamen Valor satisfactionis acceptilatus & æstimatus fuit juxta favorem DEI absolutum: quia sic placuit; sive universaliter erga omnes homines; qui semiplenam vel aliquam satisfactionem acceptam (ita amat loqui *Episcop. Instit. Theol. l. 5 c. 3. p. 408. a. p. 2.* aliquomodo poterat satisfieri justitiæ sive amoris divino) remittere voluit reliquum, sive particularem erga solos electos Christumque ipsum quasi ante interventum meriti Christi quosdam elegeret, quorum loco decimam vel minorem partem æquivalentis voluerit acceptare, nempe quid pro quo X. pro C. sed juxta accuratum æquilibrium offensionis & satisfactionis, juxta regulam rigidæ justitiæ DEI satisfactionem requirentis, satis fecit Christus, tamen quoque λόγος pro se mittendo intercessisset non minueretur tamen propterea *intrinsicum satisfactionis pretium* *Esai. LIII. 5.* Disciplina מוסר significat, exactionem debiti secundum rigorem justitiæ commutativæ Vid. *Deut. XI. 2. Jerem. 2 19* Et ostendunt verba sequentia *Esaiæ*, Filium DEI ob aliena peccata indignis modis, non blandè & benignè fuisse habitum. *Matth. III 14. 15.* Sic oportet omnem justitiam implere &c. Vid. *Essen. de Satisfact. Contr. Crell. p. 36.*

§. LX. Causa προκατασκευασμένη externa quam alii occasionem sumtam vocare amant, est hominum omnium (non tantum electorum ut volunt Calviniani. *Essen. de Satisfact. l. 1 c. 3. §. 1.*) miseria. Consistit ea in malo, tam poenæ, quam culpæ, quæ duo quibusdam sic distingvere placet, ut prius instiget ad exigendam satisfactionem. posterius ad cōmiserationē. Quoad prius adducuntur *Rom. IV. 25. 1. Cor. XV. 3 1. Petr. III, 18;* quoad posterius *Rom. v.* Vid. *Calov. Socin. p. 386, 410, 422. D. Schmid. §. 34. 35. Dilpp. Leydens. Disp. 29, p. 373, Valens. de Satisfact. Christi p. 395. Essen. de Satisfact. Christi p. 24.* Non ergo obedientia, meritum, & sanguis Christi causa προκατασκευασμένη externe movens est, uti per-

per-



perperam *Kekerman. l. I. System. Logic. c. 15.* Neque sanguis pro nobis effusus ut *Ravensberg.* Durior hæc aliquantum dictio est, tolerari potuisset si dixisset, *cujus merito satisfactio est acquisita, quid autem hoc est dicere; procatartica meritoria causa satisfactionis est pretiosus Christi sanguis, quo satisfactum, si ve satisfactio promerita.* Sanguis enim Christi non impulit Christum, ut satisfacere vellet. *Causa impulsiva* est causa externa; At sanguis Christi, non est aliquid extrinsecum Christo. Rectè quidem dicitur *sanguinem Christi esse illud, cuius merito nobis acquisivit liberationem à miseria, placationem, reconciliationem cum DEO, remissionem non; vero accurate loquendo bene dicitur: sanguinem Christi impulisse, vel promeritum esse ut vel DEUS Christo imponeret pœnas nobis infligendas, vel ut Christus eas susciperet pro nobis pateretur & sanguinem suum funderet, quemadmodum & pretium, quod pro captivo solvitur, promeretur quidem liberationem è carcere, sed non impellit aut meretur ut satisfacere quis velit.* Omnis error ergo inde profluxit quod non distinxerit *causam procatarticam meritoriam* in ordine ad efficientem, & in ordine ad effectum ipsum, quæ quia confunduntur, manifestam involvunt contradictionem. Nam si satisfactio est pretii seu pœnæ solutio, pretium autem pro peccatis secundum scripturas est sanguis Christi pro nobis effusus, sane pretiosi sanguinis effusio erit ipsa satisfactio; Hoc si est, qui dicit pretiosum Christi sanguinem, si ve effusionem sanguinis esse causam impulsivam meritoriam satisfactionis, idem dicit effusionem sanguinis impulisse & promeritum esse, ut sanguis Christi effunderetur. Quæ omnia si bene pensitentur, explicabunt mentem *B. Meisneri* qui in sua *Considerat. Photin. Theol. c. 5. p. 838.* asserit sanguinem Christi causam meritoriam. Talis causa procatartica in acceptilatione civili non semper locum habet. Potest enim creditor alicui remittere debitum, qui tamen solvendo est, & quidem sine læsione justitiæ ex mera bene-

volentia & favore; dominus enim est bonorum suorum; ista tamen acceptilatio tollit omnem obligationem, non accedente causa impellente externa movente *miseria hominis*. Non procedit in materia de satisfactione Christi; nam intuitu communis miseriae humanae, à qua nemo mortalium excipitur, solutio, & liberatio vera contigit. §. LXI. *Materialia* acceptilationis diximus esse verborum obligationem. Quæ res Acceptilationis sint capaces jam non disputo. V. *Tholos. Synt. l. 21. 19 3.* & *ICTos Acceptum ferri non potest, nisi quod verbis fuerit contractum & quod verbis non fuerit contractum, tolli hoc modo etiam nequit. Sed ostende fodes, talem verborum obligationem in Satisfactione Christi, & verbis hic quicquam contractum esse, quod si non feceris, cadet acceptilatio, quod enim verbis non est contractum, tolli hoc modo etiam nequit, neque etiam quod absurdum est, quispiam dixerit, Passionem Christi esse verbalem. Scias ergo acceptilationis vocem cum solutio nulla antecessit, ad jus crediti aptari posse, ad poenas non item. Quis enim unquam reperit & legit in aliquo veteri scriptore indulgentiam criminum, acceptilationem vocari. Nam accepto refertur ea res, quæ accipi potest. At poenam corporalem rector reverà exigit, sed non accipit, quia proprie & à se ipso loquendo, nihil ex poena ad eum peruenit. Vide *Grotium de Satisfact. c. 6, p. 97, & c. 8, p. 129,**

§. LXII. Nos materiam Satisfactionis Christi dicimus, quicquid Filius DEI ex æterno DEI decreto pro nobis & vice nostris subiit. Initio sumto in utero statim matris suæ, ibi enim omnes infirmitates quas cum aliis infantibus communes habere voluit (excepto peccato satisfactorie fuere, quibus peccata nostra, quæ mox in utero materno nos coinquinant, expiavit. Continuata est Satisfactio, tolerantia à extrema paupertatis, fugæ, exilii, huc refer itinera, famem, sitim, lassitudines, persecutiones, pericula, odia, contumelias, convicia, imprimis acerbissimam passionem, & crucia-

crucia-

cruciatus, quos in ultimo sustinuit agone totius corporis, omniumque membrorum. *Psalm. 22*, Caput sensit spinas, manus & pedes confixi clavis, Vultus alapis & sputis obductus gustus felle & aceto potatus. *Olfactus* fatido calvariae loco cruciatur, *Auditus* blasphemantium vocibus laceffitus. *Oculi* caligarunt, totum corpus denique ex flagellorum innumeris verberibus vulneratum, sanguine undique perfusum, *latus* lancea perfoctum etc: Vid. *Ambros. T. 5, l. 2, c. 2*, in *Luc.* denativit. *Salvator*. Neque de quoquam alio ita dici potest, quia vulneratus est propter iniquitates nostras. Ille igitur parvulus, ille infantulus fuit, ut tu vir possis esse perfectus: ille involutus panis, ut tu mortis laqueis sis absolutus: Ille in praesepebius, ut tu in altaribus: Ille in terris, ut tu in caelis, ille locum in ea diversorium non habebat, ut tu plures haberes in caelestibus mansiones. Qui cum dives esset, propter vos pauper factus est, ut illius inopia vos ditaremini. Meum ergo paupertas illius patrimonium est, *infirmitas Domini*, mea est virtus. Maluit sibi egere, ut omnibus abundaret. Me illius infantiae vagientis abluunt fletus, me a lachrymae illae delicta laverunt. Plus igitur **DOMINE JESU** injuriis tuis debeo quod redemptus sum: quam operibus quo creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi fuisset. *August. Meditat. c. 6*, *Gerhard. Meditat. Bernh. l. 1, in Caen Domi. c. f. p. 74. edit. Colon Petav. Dogm. Theol. T. 4, p. 4, l. 9, c. 4, p. 24, & l. 10, ss, seqq.* *Adrian Mierbec. Scala. Purpur, Grad. 3, Collat. 2, §. 2, pb. 889*, *Carol Stengel. Theat. I, C. p. 1. 2 §. 2. C. vnielm. Stanihurst. Histor. DE Immortal. in corpore mortali patiente passim. Mos. Amyrald. exercit. in symbol. Apostol. p. 123*, Contra illos qui negabant in Christo doloris sensum, ut *Hilarius*, qui tamen errorem suum correxit. Observandum etiam hoc est contra quosdam Scholasticos, quos adducit *Becanus de incarnat. quest. 4. p. m. 850.* & sunt *Alexander, Albertus, Bonaventura, Durandus*, negabant illi Christum cepisse mereri ab instanti conceptionis. quos suffragantibus *Thoma. de Aquin. q. 34, art. 3, Cajetan. ib. Magistro Richardo. Scoto, Palludano, Marfilio in 3, dist. 18, additocalculo Sacrae Scripturae Ebr. X, v. 910, refutat. Hallucinatur etiam*

*Piscator*

*Piscator Herbonensis & asseclæ ejus qui falsò statuunt: Christum non sua sancta conceptione etc: Sed sola sua morte nobis meruisse remissionem peccatorum & salutem. Nil facit pro ipsis Ebr. X, 14, unica enim hæc oblatio non opponitur ut causa salutis nostræ meritoria, sanctæ ipsi9 conceptioni etc: & obedientiæ activæ, quippe quam pro nobis & loco nostri divinæ legi præstitit Matth. 5, 17, Rom. 1, 18. 19, sed oblationum à Mose præscriptarum pluralitati, & frequenti reiterationi teste ipso Spiritu S. Ebr. 7, 27, 28, cap. 9. 12, 25, seqq. c. 10, 1. 2, Vid. Feuerborn. Synt. 1, Part. 3, disp. X. 14.*

§. LXIII, *In anima sua sanctissima non minus sensit perpeffiones longè accerbissimas, iram divinam incredibilem horrorem & metum qui ex consideratione horrendæ mortis, & pœnarum pro peccatis totius mundi sustinendarum, natus, sensum derelictionis divinæ, ineffabilem angorem & tristitiam pavorem animi quem Evangelistæ emphaticis efferunt vocibus λυπέω, πειλίπυ & ἐκθαμβέω, ἀνημονέω, quas expendit D. Dorsch. pag. 1, Theol. Zach. §. 217, seqq. Vid. Tom. 1. Disp. Giess. p. 508, seqq. Maccov. Colleg. Theol. 133, Part. 2. & quæ habet Petav. T. 4, q. 4, Theol. Dogmat. l. 9, c. 6, §. 5. seqq. §. 8, seqq. refutat eos qui asserbant, Christum non sibi sed nobis timuisse, exhorruisse. Tanti certè hi erant cruciatus ut largissimum sudorẽ sanguineum exprimerent, cruciatus hi vero ipsissimi dolores infernales erant non quasi in locum damnatorum, infernum cum diabolis, & damnatis dejectus vel igne infernali exustus fuerit, vel inter dolores desperaverit ut quidam Pontificiorum. Bellarm. Fevardent. Hajus. Ferus, adducti à D. Dorsh. l. c. §. 169, Theol. Zach. p. 1, Sed quod præter mortem corporalem etiam Spiritualem in anima subjerit, senserit iram & furorem divinum adversus peccata, maledictionem legis etc. Contra Socinum qui p. 3, c. 6, de Servatore negat Christum infernales pœnas sensisse. Sic etiam Schmalz. in exam. 57, error. Contra Bellarm. l. 4, c. 8, de Christo Voss, contra Ravensp. Robert Lœum in effigiat. veri Sabbatismi p. m. 122 Vid. D. Schmid. de satisfact. §. 36, Dorsch. P. 1. Theol. Zach. §. 134. seqq.*

135. seqq. Feuerborn. Synt. 1. q. 663. D. Calov. Socin. p. 335. Amyrald. Exercit. in symbol p. 145. Valæum de Satisfact. Caus. p. 395 seq. Disp. Leydens. disp. 29. p. 374. f. Nec satis sibi constant Pontificii, dum quidam eorum asserunt Christum passum esse tantum mortem corporalem, alii Spiritualem. Ista autem omnia non modo fuerunt prolusiones, siue propassiones ad crucem sed pars supplicii quod pro nobis subire debebat, ut sic divinam justitiam placaret. Sciendum porrò cruciatus hos finem suum habuisse eo momento, quo anima cum corpore ejus rursus unita fuit. Licet ergo ex ea hora, qua in ara crucis exclamavit consummatum est animamque suam Patri tradidit nullos amplius cruciatus senserit siue corporis siue animæ, ad peccatorum tamen nostrorum expiationem omnino pertinuit, quod in cruce per aliquot horas pependit, ut maledictum Galat. III. v. 13. et latus ejus lancea perfossum quod de cruce depositus, in hortum delatus, in sepulchro repositus verè mortuus jacuerit in tertium usq; diem, scriptura n. expresse mortem cum sepultura cōjūgit. Cor. XV. 34. Observandum hoc est cōtra Flacium, qui in Clav. tit. infernus, asseruit: Christum post suam mortem ad huc dum sua anima gravissimos cruciatus sustinuisse. Pugnat hæc sententia cum Ioh. 19. Ebr 9. 25, 26, 28, c. 10. 12. 14 Nihil subsidii invenit Act. 2. 24. Deus pater enim suscitavit Iesum, postquam solvisset dolores mortis, scil. ante mortem à Christo gustatos. Apocal. 7. 17 dicitur absterfus omni lachrymam ab oculis Sanctorum cælestium, non quam ipsi effundant in cælo, sed quam, dum in mundo viverent, effuderunt. Præterea Lucas imitatus Lxx qui Psal. xlii, 6. funes inferni expresserunt per ὠδύνας ἄδης per dolores etiam mortis ipsa etiam mors dolorosa intelligi potest. Feuerborn. Synt. 1. disp. x. §. 17. 18, f. et fasc. 3. §. 43. Errant etiam Pontificii qui docent: Christum ab instanti mortis suæ nil amplius meruisse; Ita Becanus de Incarnat. q. 4. 850. b. ex Thom. q. 19. art. 3. ad 1. q. 50. art. 6. ad 2. §. q. 56. ad 3. Vasquez. Disp. 76. cap. 1. & sic etiam sentire ait multos recentiores.

§. LXIV. Quia vero ante diximus: Christum ab instanti conceptionis

H

tionis

conceptionis suæ meruisse, et sic ordine temporis, post Patres V. T. incepisse, non immerito quæritur: *An Patres V. T. meriti et Satisfactionis Christi fructum habuerint.* Negant Photiniani, ut suo loco videbimus. Nos affirmamus & quidem ex *Act. XVII, 10. 11.* Credimus nos per gratiam Domini Jesu Christi salvari, quem admodum et Patres nostri *Rom. III. 34* Deus filium proposuit propitiatorium *Vid. Hebr. 9. 12. 13.* Hinc vocatur *agnus occisus* ab origine mundi applicatione *meriti fide facta*, Typicè *in mortis suæ symbolis.* Fuit igitur Filius DEI Mediator etiam in V. T. Etsi enim humana ejus natura tum actu nõdum extiterit in DEI tamen notitia, & decreto duæ *θεωσώτων* nature pro unitis habebantur. Et sic hæc naturarum Christi unio, ipsiusque passio, mors &c. nobis ante profuit quam fuit. Disertè *Augustinus l. de Peccat. Orig. Contr. Pelag. & Celest. c. 26. T. 7. oper. Col. m. 801.* Si propterea illis non profuit incarnatio Christi, quia nondum facta erat, nec nobis prodest iudicium Christi de vivis & mortuis, quia nondum factum est. Si autem nos per hujus nondum facti, sed futuri iudicii fidem stabimus ad dexteram Christi, profectò illi per incarnationis ejus tunc nondum factæ, sed future fides membra sunt Christi. Neq; enim putandum est, quod antiquis justis sola quæ semper erat divinitas Christi, non etiam quæ nondum erat, ejus humanitas revelata profuerit. Illud enim quod ait Dominus Jesus, *Abraham concupivit diem meum videre, & vidit, & gavisus est: Si diem suum voluit suum tempus intelligi, testimonium profectò perhibuit Abraham, qui fide fuerit incarnationis ejus imbutus.* Et cap. 118. *Enchir.* Neque antiquorum quicumq; V. T. præter Christi fidem salutem potuit invenire. *Bernhard. Clar. evall.* verba Emphatica sunt: Christus, inquit, pro salute mundi semel est factus hostia salutaris, reconciliatio generalis, & omnibus sacramentis, tam præcedentibus, quam subsequentibus virtutem dedit, & efficaciam, ut tantâ & tali hostia sanctificarentur omnes liberandi per illam. Unde legitur quia agnus occisus ab initio seculi, his videlicet qui fuerunt *ab initio* ita ut per hos quod dicitur *ab initio* determines non tempus occisionis sed salutis. Prius enim mors ejus profuit quam fuit. *Vid. Hutter L. C. 49. Affelm*

*felm. de merito Christi theor. 3. Feuerborn Synt. 1. Diss. II. pag. 802. & Diss. 10 p. 771. Petav. Theol. Dogm. l. 12. c. 3. Maref. Dissp. Sel. de Mediator. p. 86. Unde non satis est orthodoxa tribrica Jansenii in Augustino l. 3. c. 8, Status Veteris Testamenti figurativus & Propheticus, non afferebat Judæis gratiam sufficientem, sed potius impedientem. Singulare est, si verum quod Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. refert ceu scriptum in historiis Romanorum, quod tempore Constantini Augusti, & Irenæ matris ejus inventum fuerit quoddam sepulchrum, in quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat: Christus nascetur ex Maria Virgine, & ego credo in eum. O sol sub Irenæ & Constantini temporibus iterum me videbis.*

§. LXV. FORMA Acceptilationis absolvitur his verbis: *habes ne acceptum, & creditor respondeat, habeo. Accepta facis quoniam vindecim, ille respondet facio.* Est ergo quasi solutio verbalis, quid pro quo sumens. Nil tale in satisfactione Christi uti paulo ante dictum; vera enim & realis fuit solutio. Christus dedit vitam suam *λύτρον* pro nobis Matth. 20. 28. 1. Cor. VI. 20. pretio vero, eoq; reali sufficientissimo verè, & perfectè liberati sumus 1. Cor. VII. 23. Conjecit DEUS omnia peccata nostra in eum *Esaiæ LIII. 6*, adeoque etiam pœnas peccatis debitas quas etiam portavit *Joh. 1. 29*, Id quod evincunt cruciatus de quibus ante, *emtionis* etiam & *redemptionis* vocabula, quæ propriam hinc significationem obtinent. Non placet stylus Grotianus p. 97 qui hæc testimonia ad lucens scribit: *solutione aliqua liberati sumus.* Qualem locutionem etiam in eo *Walæus* reprehendit supra citato loco *nonnihil solutionis.* Verum, Perfectum, sufficientissimum, hoc fuit *λύτρον.* Forma satisfactionis Christi, est in modo actuq; scilicet in omnimodo perfectissima pro omnibus nobis, id est, vice nostra, proque omnibus peccatis nostris, ad ea luenda & eluenda, Deo facta per solutionem. Ut enim materia est, inadaquata pœna peccatis debita, in quibus consistit satisfactio ita forma est; Primo, quod eas, voluntati patris convenienter subjerit, tulerit, toleraverit, & exhausit filius DEI, DEUS & homo à cu

ju

„cujus Deitate vis & potentia est ad sustinendum. Deinde quod  
 „id præstiterit pro nobis, personam & locum nostrum, ut nos ter  
 „sponsor, vas & præses tenens. Denique DEO ut cui obligabamur,  
 „tanquam DEO, Creatori, Domino, Legislatori, & Judici nostro,  
 cui hæc satisfactio dependenda erat. In quibus satisfactionis ple-  
 naria quæ talis, forma consistit. Disp. Leydens. p. 377. Super-  
 abundans *Joh. X, 10* Ego veni, ut vitam habeant & abundantius habe-  
 ant *περισσὸν ἔχουσιν Rom. V. 17.* multo magis ἢ οἱ ἴνυ περισσεύουσιν  
 qui exuberantiam gratiæ accipiunt per vitam, & regnabunt per  
 unum JESUM CHRISTUM, & *vers. 20. 21.* ὑπερπερισσεύσεν χάρις  
 exuberavit gratia per justitiam ad vitam æternam per JESUM  
 CHRISTUM.

§. LXVI. *Sufficientissima* inquam I. hæc satisfactio, perfectissi-  
 ma ἰσορροπία infiniti valoris, nullius remissionis, neque accepti-  
 lationis indiga, quæ ergo non potuisset justitiæ læsæ abundantis-  
 simè satisfacere. Assertum probo ex *Ebr. X, 14.* unica oblatione  
 ἑτελεύτησεν consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur.  
 Neque certè frustra tam multoties legitur vox ἀπαξ in Epist. ad  
*Hebr. c. VII. 27, c. IX, 26, 27, 28, c. IV, 25.* semel enim in his & similibus  
 locis non tantum unam vicem; sed perfectionem incommunicabilem  
 notat perfectionem cui nihil addi possit aut debeat. Ea enim est  
 vocis semel significatio *Ebræ. VI, 4.* 1. Petr. III. 20. Jud. V. 3. cum  
 exclusionem repræsentativæ iterationis, qualis fuit in V. T. frequentissi-  
 ma *Ebr. X. 2, 18,* reiterationis inquam non fiducialis sed sacrificialis  
 quæ sine injuria perfectissimi sacrificii fieri nequit. Vide, *Danhaueri*  
*Præceptoris mei fidelissimi Hædosoph p. 469.*

§. LXVII. II. *Pretiosissima* insuper fuit hæc satisfactio. Hinc lege-  
 re est 1. Petr. 19 Redempti estis pretioso sanguine, velut agni im-  
 maculati, & in contaminati Christi. 1. Cor. VI. 20. empti estis pre-  
 tio. c. III. 23. ἡμῶν ἡγοράσθητε I. Johan. 17. Quis enim  
 thesaurus, quod pretium θεαυθρωπῶν pretiosius. *Pretiosus*  
 dici-



*Pretiosus dicitur sanguis, quia immaculati corporis sanguis est, Filii DEI qui non solum de maledicto legis, sed etiam de impietatis morte perpetua nos redemit. Ambros. in .c. 12, LUC.*

§. LXVII. III, *Summe necessaria.* Scriptura enim nobis sic describit naturalem & essentialem iustitiam DEI iudicariam, quod peccatores sint morte digni Rom. 1, 23, quodq; iustum sit apud DEUM, reddere iis, qui nos affligunt afflictionē. 2, Thess 1, 6, E. salva divina iustitia in scriptura S. nobis revelata fieri non potuit, ut DEUS misericors peccatores absolutā, suā misericordia sine praestita satisfactione, in gratiam reciperet, justificaret, salvaret. 2, Scriptura S. nobis proponit immutabilem DEI veritatem Genes. 2, 17, dixit DEUS in quocunq; die comederis ex arbore morte morieris, Omnes mortes ibi DEUS homini comminatus est, uti August. l. 13, c. 12, de C. D. explicat. quicquid mortis est usq; ad novissimam, quae secunda dicitur, & quae est nulla posterior comminatio illa complexa est. In quem locum vid. Leonhard. Coquei Commentar. p. 25, seqq. Et quamvis non statim mortuus fuerit Adam, sed longe supervixerit, obnoxius tamen fuit morti, & mortalis Luther. in Genes. 3, 3, Scriptura. proponit nobis immutabilem Dei legem moralem in qua ipse dixit Deutr. XXVI & Galat. III. Maledictus qui non permanferit &c: Proinde salva divina lege morali, fieri non potuit, ut DEUS absolutē sine ulla satisfactione hominibus condonaret. Largus plus iusto hic est Gratius de satisfacti. de alieno ajens cap. 3. p. 53, *Leges positivae omnes absolutē sunt relaxabiles.* Quod autem quidam verentur, ne si id concedamus, injuriam faciamus DEO, quasi eum statuemus mutabilem, in eo multum fallunt. Nam lex non est aliquid internum in DEO, aut ipsa Dei voluntas, sed voluntatis quidam effectus. At voluntatis divinae effectus mutabiles esse certissimum est; neq; DEUS legem positivam promulgando quam aliquando velit relaxare, aliud se velle significat, quam reipsa velit. Serio enim DEUS ostendit velle se, ut lex rata sit, atque obliget, salvo tñ. jure relaxandi quod legi suapte natura cohaeret &c. Habent hic ex parte Socin. quod

volunt. 4. Consideretur etiam rigor legis divinae Prov. 17. 15, Qui iustificat impium & qui condemnat justum abominabilis uterq. apud DEUM *Esaie V. 21. 23. vae iis in clāmatur.* Quomodo ergo DEUS sine ulla interveniente satisfactione iustificaret impium 5. Christus non semel orat Matt. 26. Marc. 14. *Pater si possibile est, transeat Calix iste;* neque tamen pater Coelestis Calicem à Christo transire fecit. Contortam glossam Grotii huius loci studio præterimus, vide eam si placet in Epist. ad Valerium p. 410 a T. 2. Op. Valer. Longè rectius D. Schmid. de interces. Christi §. 29. quem vide. Conf. Diss. Giess T. 1. p. 521. Observa etiam quod Scriptura non semel dicat oportuit Christum pro nobis pati Matt. XXVII. 54. Johan III. 14. Luc. XVII. 25. cap. XXIV. Actor. XVII. 3, 6. Nec etiam alius modus supererat. Actor. IV. 12. Non est in alio salus &c. Vide D. Hülsemann. Vindic. §. 39 Danhauer. Hodosoph. p. 470. Feuerborn Synt. 1, p. 665. s. Mares. Disp. select. p. 592, eleganter tractant. Dissp. Leydens. p. 377.

§. LXIIX. IV. UNIVERSALISSIMA, effectus; omnia enim peccata in hac vita perpetrata absument, ne finali quidem impœnitentiâ exclusâ, quatenus illa adhuc in hac vita existit, janua nondum clausâ Contra Calvinianos, Vide Feuerborn. Syntag. 1 Part. 3, Dissert. 6. §. 29. fasc. 2, Diss. Th. Diss. 6. B. Meisn. in questionibus vexat. questione tertia mult. s. Tempore. Etsi enim uno tempore peractum sacrificium, valet tamen ad omnia tempora retrô & ante Danhau. Hodosoph. p. 493. Subjectis, quia præstita non pro angelis, Contra Becanum de incarn. qv. 9. p. 855. sed pro omnibus hominibus, etiam facinorosissimis, Vide iam laudatum authorem hæc accuratissimè de lucentem, cui iunge Theologos alios, qui hac de materia scripserunt, addatur Smiglec. refut. Nov. Monstr. Novi Arianismi cap. 31 contra Calvinian. Alting. L. C. p. 573. Mares. Disp. select. p. 582. seqq. Colloq. Mompelgard. Synod. Dord.

§. LXIX. Finis & effectus acceptilationis ut quasi solutione facta omnis tollatur per acceptilationem obligatio. atq. actio. Ita Wesenbec. ad lib. 46.

f. tit.

ff. tit. 4. C. 8. 44. de acceptilatione Tholos. synt. 2119 II. Tollit obligationem verborum. Goedd. de Contrab. & Comatt. stipulat. p. 267.1. Cavendum tamen, ne sit inutilis acceptilatio. Erit vero inutilis acceptilatio si non verum sit quod acceptilatione demonstratur, imperfecta & inutilis erit liberatio, per legem nisi consentiat de acceptilatione ex defectu materiae, cui ipsa acceptilatio, & liberatio applicatur vid. l. 8 tit. 4. ff. 46 & Gothofred. ib. qui sic: Inutilis est acceptilatio quæ à natura sua deficit, cum, id, quod non verbo, sed re, vel consensu tractatum est, verbis acceptum fertur. Non hi fines sunt satisfactionis Christi, vera enim, & non quasi solutio fuit, ut jam ostensum. Dicitur porro: ut omnis tollatur obligatio. Atqui ex mente Socinianorum, nulla fuit obligatio, nullum debitum, stantibus enim eorum assertis, & hypothefibus, quando dicunt. DEUM non iratum fuisse generi humano: DEUM per Christum nobis non esse reconciliatum; DEUM enim nos prius dilexisse: DEUM non exegisse poenas ab hominibus. Et si vel maxime esset quædam obligatio, Deum tamen cum sit liberrimum agens, posse condonare sine ulla satisfactione. Nulla ergo jam erit obligatio generis humani lapsi, nulla Christi vicaria. Occurrent pluribus hæc lēmata. Inutilis etiam erit acceptilatio quia apud IC Tos acceptilatio liberatio tantum est à debitis pecuniariis. Talis autem acceptilatio, ut cuius notum, hic locum non habet. Subjungimus veros eosque adæquatos Fines & Effectus satisfactionis Christi, & sunt:

§. LXX. Finis ex parte DEI, est gloriæ ejus manifestatio. Gloriæ inquam immensæ sapientiæ, per quam DEUS Pater, præter omnium creaturarum cogitationem, & expectationem, viam & rationem, ad invenit, vitam & salutem amissam recuperandi. Gloriæ veritatis. Genes. 2. 17. Deut. 27. 26. Gloriæ justitiæ. Gloriæ misericordiæ, omnipotentiæ. Ex parte nostri, Liberatio ab omnibus peccatis, ira DEI, maledictione legis, damnatione, diabolo; Reconciliatio cum DEO, æternæ justitiæ reparatio. Daniel IX. 24. Ebr. IX. 12. Restituit etiam Christus ἰεὺ ἰσχυρὸς & hominibus bona corporalia, & temporalia. vid. omnino Feuerborn. s. 1. diff. 9. p. 737. Schmid. de satisfact. §. 38. s. Danhauer.

*Hedosoph. p. 477. Dissp. Sedan. Tom. 2. p. 9. Valæus. Dissp. Leydens. Essen. l.c.* Errant igitur *Photiniani* ut in ferius docebitur asserentes: 1. Christum mortuum esse, ut *doctrina* de remissione daret testimonium; Atq; sic etiam mori, & crucifigi potuisset Paulus, qui tamen pro Corinthiis se crucifixum negat. 1 Cor. I, 13. 2. Ut jus donandæ remissionis peccatorum consequeretur. Atqui sic pro se ipso mortuus fuisset, & sanguinis ejus effusio non esset propitiatio pro peccatis nostris, 3. ut *exemplum* tantum obedientiæ proponeret. Atqui sic etiam passi sunt Martyres. 4. ad *confirmandam* spem Vitæ Æternæ. Atqui luculentiora, & extantiora erant in miraculis, in Resurrectione, Ascensione in cœlum confirmationis talis indicia. Et certe alienissimum dici posset hoc fidei confirmandæ cruentum medium quasi mors innocentissimi hominis per se valeret ad persuadendum sanctis à DEO in vita æterna, æterna. præparata esse gaudia.

§. LXXI. Vides ergo in studio Theologico requiri non tantum cognitionem Lingvarum & Philosophiæ, sed etiam aliarum scientiarum & facultatum. *Historia & Chronologia* usum magnum esse in explicatione Scripturæ sacræ, docet *Augustinus* lib. 2. de doctrin. Christi cap. 23; de usu *Geographiæ, Physiçæ, Astronomiæ*, agit caput 29; *Dialecticæ* cap 31. de usu *Eloquentiæ* cap. 36. Cognitionem artium & rerum mechanicarum suum quoque usum habere tradit cap. 30. Usus *Logicæ Mitheseos, Physiçæ, Metaphisicæ, Ethicæ, Historiæ Antiquitatis*, quis & qualis, ostendit *D. Calixt. Appar. p. 16. seqq. Confer. D. Hilsman. Method. Stud. Theol, & D. Calov. Jssagog. sect. 2. Artic. 1. cap. 1 seqq.* In de non malè locârunt suam operam, qui usum hunc prescius deduxerunt. Laudabilem operam navavit *Andreas Keslerus*, qui singulari studio scripsit *Logicam, Physiçam, & Metaphysicam Photinianam*, cujus operæ insignem usum disputaturo contra Photin. præbebunt adde *D. Dank. Ideam Boni Disputat. & malitiosi Sophistæ. Ideam Boni interpretis, & malitiosi calumniatoris. Physiolog. Ethicam & Politicam Christianam* conscripsit *D. Chri-*

D. Chri-

*D. Christianus Matthie. Lambertus Danaus Ethicam Christianam, Rich-  
teri Axiomata Politica, Oeconomica, Ecclesiastica Historica laudē  
suā merentur, ut & Reinkingii Biblische Policen. Theologiam My-  
sticam, Juridicam, Medicam edidit Maximilian. Sandæus. De Herbis Bi-  
blicis, scripsit Levinus Lemnius, & nuper Adrianus Coqvius, Historiam  
scil. Plantarum, Arborum, & Herbarum, quarum mentio fit in  
Scriptura S. adde Bauhini Historiam plantarum & Musæum Franc. Cal-  
ceolari. Sect. 1. 5. Kircher. de Philosophia Botanica lib. 12 sect. III. Mundi sub-  
terræ. De animantibus Sacræ Scripturæ, Johann. Bustamantinus, & nuper  
prodiit stupendæ eruditionis opus Samuelis Bocharti, quod voca-  
tur Hierozoicon, adhibe Ulyss. Aldrovand. libb. Qui desiderat aliquid sci-  
re in Hydrographicis, consulat Fortunii Liceti Hydrologiam Kircheri  
Mundum Subterræ. l. 3. qui posterior tiam in laudato jam opere  
consulendus de igne subterraneo lib. 4. sect. 1. de ventis lib. 4. Sect. 2. de flu-  
minum, lacuum, fontium origine lib. 5. de aquis, de thermis ib, de miraculis a-  
quarum ib. sect. 4. de terra lib. 6. de gemmis & lapidibus lib. 8. Confer Arselm.  
Boet. de Bood. Historia Gemmar. & Lapid. Johan de Laët. lib. 2 de Gemm.  
& Lapid. Musæum Calceolar. sect. 3, de Gemmis & Lapidibus Scripturæ Sa-  
cræ Franciscus Rueus Medicus Insularus, de animalibus subterraneis  
Kircherus lib. 8. sect. 4. de Venenis l. 9 sect. 1. de Metallis & Fodinis  
lib. 10. de Alchymia & Lapide Philosophorum lib. 11 de nive videndus Tho-  
mas Bartholinus peculiari tractatu. Opificium hominis, sive An-  
thropologiam secundum omnes partes, diligenter pertractat Mar-  
tinus Bohemus, ut Basilium, Ambrosium, & Hottingerum de creatione jam  
non adducam. De morbis Biblicis scripsit accuratè Guilielmus Ader  
tractat. de morbis Biblicis, qui antea seorsim Tholosæ edit. in 8. jam  
verò in T. IX. Biblior. 1. Critic. col. 3660. invenitur. Paralyticum  
N. T. edidit Thomas Bartholinus disert. pecu!. Onomastico Urbium et  
Locorum Scripturæ Sacræ edidit Jacobus Bonfrerius, Leusden. Topothe-  
sia, Chæographiam terræ sanctæ. Adrichomius, Vallapandus, Quaresm. To-  
mis. II. Elucid. terræ sanctæ. Lightfoothhor. Hebraic. Bisel, de Ca-  
naan & Phaleg. Arias Montanus Samuel Bochart de Ophira Casp. Va-  
rerius et Pined. de rebus Salomonis etc. Deritib9 sacris, et profanis  
lege*

ge Casalium etc. Jucunda horum cognitio, sed et apprimè utilis; faciunt enim ad intelligentiam Sacrae Scripturae uti aliàs ostenditur. Juris cognitionem in Theologia necessariam esse, inde patet, multa enim reperiuntur in hoc studio, quæ non nisi ex Jure ediscenda sunt, sed et adversarii malæ suæ causæ subsidia conqverentes, in cautos ut decipiant, non pauca petunt ex scholis juris consultorum, quãvis ea non intelligant, vel intelligere de trectent. Natura certe Testamentorum hereditatis, tutelæ. Justificationis, satisfactionis etc. inde, petenda, et cum Apostolus subinde in scriptis suis non paucè schola juris consultorum petat, non immeritò censet Ambros. Mediolanens. eum in studio Juris non fuisse hospitem: sic enim ille lib. I. de Jacobo et vita beata cap. 3. Quis quasi idiotam Paulum vel in ipso Jure asserit; scivit enim discernere inter libertum et liberum, et ideò non perfunctorie, sed proprie dixit. Qui enim vocatus est in Domino servus, libertus est Domini etc. Photiniani, sive Sociniani, cum satisfactionem Christi impugnaturi, præsidium pessimæ causæ in scriptura invenire haud possint, scrinia ICTorum perrepantes, Satisfactionem Christi non nisi *acceptationem*, non autem veram solutionem esse impudenter & imprudenter, reclamante universa Scriptura vocitant. Quibus mediis hoc evincere al- laborent, videbimus.

## SECTIONE III.

Quæ Continebit ruinosam *adstructionem* ACCEPTILATIONIS PHOTINIANÆ.

## §. LXXII.

Ostendimus supra §. 48, Socinū cum Socinulis suis statuere *acceptilationem* quæ nullo modo vera est Satisfactio uberiushoc jam ostendemus, hac sectione. Expresse idē Socinus *themat de officio Christi* §. 37, p. 10, Christus confirmavit nobis DEI voluntatē, in signi ac perfectæ vitæ innocentia ac sanctitate &c. tandem morte cruenta, hoc præstitit, quod ipsa mors nos certos red-  
dat

dat de ingenti & admirabili Patris amore §. 37, Resurrectio autem Christi de salute nostra certos nos reddit dupliciter: *Primum*, quia, in ipso exemplum habemus, quod ii qui confidunt DEO, ex atrocissima morte sint liberandi. *Postea*, quia omnem potestatem in cœlo, & in terra à resurrectione ipse Christus consecutus est, & auctoritatem etiam nos à morte vindicandi — Hanc igitur verissimam Christi mortis causam esse credimus, non quemadmodum plerique sentiunt, ut justitiæ divinæ pro peccatis nostris satisfaceret, vel DEUM ex se vero, & irato iudice propitium nobis clementemq; patrem redderet. §. 39. Redemit quidem nos Christus sanguine suo, at non irato Patri pretium statuens, sed potius ingentem clementissimi patris amorem nobis obsignando à peccatis & ab omni iniustitiâ, ab ipsa deniq; morte nos liberans. Quare cum de redemptione nostra per Christi sanguinem agit scriptura, non proprie, sed metaphoricè eam loqui statuimus. §. 50. Cœterum sacerdos, sive Pontifex, re ipsa non extitit antequam sublimior cœlis factus vultui DEI pro nobis apparere cœpit. §. 51. Unde statuimus sacrificium ejus expiatorium non fuisse in cruce per actum, sed in cœlis etiam num peragi & perfici. Idem Socinus in discurs. de ratione salutis nostræ p. 19, scribit: JESUS ultrò crudelissimam mortem subiit, quam infiniti dolores præcesserunt, atque ita & modum obediendi DEO nobis ostendit, & certitudinem doctrinæ suæ confirmavit. Idem in animadvers. extemporalib. in Niemojevii scriptum p. 33. scribit: Ea fides in Christum qua creditur, per ea, quæ passus est Christus, deleta fuisse peccata nostra, periculi plenum & mendacium continet, & humanum commentum est. §. 4. p. 55. Nec enim DEUS Christum morti tradendo se verum se erga peccata nostra simul & clementem ostendit; sed clementem duntaxat, cum morte & sanguine Christi, non ideò deleta sint peccata, quia ea ratione punita fuerint, sed quia Christus per mortem crucis & sanguinis sui fusionem in cœlum ingressus est &c. Idem respons. ad articulos Cuteni §. 18. pag. 87. Christi perpassiones, cruciatus, & mors, non potuerunt esse oblatio, quæ nobis iram DEI placârit, cum jam DEUS nobis iratus non esset, cum Christus munus suum obire cœpit, sed contrà per ipsum Christum quæreret, atq; ad eò nobis

à nobis peteret, qui ipsius DEI inimici eramus, ut sibi reconciliari vellemus, & peccatis relictis ad justitiæ opera sectanda nos convertere, se enim, si id à nobis fieret, paratum esse, omnia ipsa peccata nostra nobis remittere ac condonare. Itaq; quidquid passus est Christus, crux deniq; & sangvis ejus, non aliò pertinent, quàm ad suum effectum, perducendam tantam DEI erga nos clementiam ac liberalitatem. §. 20, p. 88. Christus obedientiâ, quam DEO præstitit, quemadmodum nobis, sic etiam sibi ipsi propriè loquendo nihil est meritus. Et in Institut. Christian. Religion. p. 75. hæc habet: Liberatio per Christum à pœnis peccatorum nostrorum nihil cum satisfactione pro ipsis peccatis cõmune habet, sed potius cum ipsa pugnat. A pœnis siquidem peccatorum nostrorum ideò per Christum liberamur, quia Christus summâ illa sua in cœlo & in terra potestate efficit, ne ullæ propriæ peccatorum pœnæ nos attingant, & tandem eadem potestate efficiet, ut à morte, quæ stipendium peccati est, & ejus quàm maximè propriâ pœna, prorsus atq; in perpetuum liberi simus. Hæc certè ratio liberandi à pœnis peccatorum diversissima est ab ea, quæ satisfactione pro ipsis continetur. Adde, quod propterea Christus suâ potestatem, eo modo, quo dixi, in nobis à peccatorum pœnis liberandis exercendi jus habet, quia DEUS per ipsum gratis nobis ipsa peccata remisit, atq; condonavit. Nihil autem invicem magis pugnare potest, quam gratuita remissio seu condonatio, & satisfactio. p. 76 justitia divina non requirit, ut sit, qui pro peccatis satisfaciat. Vid. ibid. pluribus. Johan Niemojevius respons. ad Epistol. Socini p. 227. Ep. Socini hæc habet: Scias me cum illis non sentire, qui Christum morte sua DEUM placasse, ex iratoq; clementem effecisse imaginantur. Socinus in respon. ad secundam Niemojevii Epistolam p. 245 / Sacrificium & oblatio Christi expiatoria non reverà in ipsa cruce & sangvinis fusione, sed mox in cœlo, Christo illuc ingresso, peracta est. p. 260, Quamvis per Christi mortem sit abolitum peccatum, non tamen idcirco sequitur, vim aliquam propriam in ipsa morte fuisse, quâ id factum fuerit — Christus non reverà ipsa morte destruxit Dædolum, pag 658, Quomodo potuisset DEUS, & quidem jure, homines licet peccantes. æternæ morti nō m̄cipare: sic post q̄ eos illi morti edicto suo mancipavit



ex illius imperio iterum eximere & quidem jure sua, sola voluntate potest Idem: Quod ad mortem æternam non perveniamus, non debemus Christo ut servatori, sed quia simplicium mortis æternæ a DEO, cujus libera voluntate atque decreto eam meriti fueramus, nobis pro infallibili ipsius bonitate condonatum fuit, atque ejus loco datum vitæ æternæ præmium. *Part 3. c. 1. & 2. de Servator.* DEUS potuit & voluit nobis condonari peccata nostra nulla pro ipsis vera satisfactione accepta. Et in prælectionibus cap. 15. hæc habet: *Querimus, utrum in justificatione nostra per Christum peccata nostra compensatione seu satisfactione aliqua deleantur; an verò remissione & condonatione?* Plerique satisfactione interveniente id fieri arbitrantur; nos verò simplici condonatione. Quatuor rationibus thesin suam probare conatur, quas videbimus. Iterum *Socinus de Servat. c. 1. in init.* Ego vero censeo, & orthodoxam sententiam esse arbitror, Jesum Christum ideo Servatorem nostrum esse, quia salutis æternæ viam nobis annuntiaverit, confirmaverit & in sua ipsius persona, cum vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo manifestè ostenderit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus ipse daturus sit. Divinæ autem justitiæ, per quam peccatores damnari mereremur pro peccatis nostris neque illum satisfecisse, neque ut satisfieret opus fuisse, affirmo. *Jonas Szlichting. præfat. Disp. contra Meisner.* Verum non est, inquit, quod Christus nostri loco omnia vel præstitisse, vel dependisse statuatur. Idem *Disput. p. 124.* Cur puniti sumus in Christo, si legem DEI in Christo implevimus? quomodo legem implevimus, si puniti sumus? Nō videtis, alterutrum non tantum non requiri, sed etiam excludi obedientiam? Præterea, si Christi obedientia nostra fuit obedientia, Christi afflictio nostra pœna: quomodo ipsi Christo ista, quam præstitit, cum aliis in rebus omnibus, tum etiam ad mortem usque eamque crucis, obedientia tantum præmium apud DEUM & gloriam conciliare potuit? An, si pro afflictione detur præmium, & quidem omnium maximum, non omnis ratio pœnæ tollitur? Quocirca Christi perpeffiones non pœnæ fuerunt peccatorum, sed labores præmia antecedentes. Et si pro obedientia alicui conferatur

merces quomodo ista obedientia alterius censeri potest, quam illius ipsius, qui premium ac mercedem pro ea consecutus est. Jam citatus Szligting novationem, vel delegationem comminiscitur quoniam. porro p. 134, scribit: Falsum est hominem, qui vit. justificari velit, bona opera interponere non posse, imò non debere. At nulla habet, inquis. Si nulla habet, nec justificabitur. justificatio enim nec incipit sine fide ac poenitentia, nec durat sine fidei poenitentiaque fructibus atque effectis. At imperfecta sunt. Quid tum, quando DEUS pro ineffabili sua benignitate iis vult esse contentus? Alias sunt, inquis, debita. Imò vero non alio fine debentur, quam ut à peccatorum poenis liberi simus. Licet autem nemo perfecta opera interponere, nec DEO pro peccatis suis, nisi æterna damnatione, satisfacere in ipsius iudicio consistere queat: falsum tamen est quod addis clamare Scripturam, necesse esse, ut  $\lambda\upsilon\prime\sigma\upsilon\nu$  illud infinitum æquivalens Christi mediatoris homo apprehendat, & sic, illi merito Christi imputato, justificetur, & à poenis absolvatur. Sic etiam Ioachim. Stegman. de Reform, c. 10, p. 68, Et Paulo post  $\lambda\upsilon\prime\sigma\upsilon\nu$  illud, seu redemptionis pretium quod Christus dedit non ipsius sunt proprie vel facta, vel perpeffiones, sed ipsius est anima, vel ille ipse, qui eatenus se dedit, quatenus se ipsum in mortem impendit, & animam suam profudit: non ut verè penas peccatis nostris debitas subiret, quas non subiit, nec subire debuit, imò nec potuit, sed ut nos ex servitute peccati & mortis æternæ liberaret. Nec istud pretium DEO dedit: sed DEUS id dedit, & per illud nos sibi emit, & ex Diaboli, peccatique servitute ereptos in libertatem vindicavit. Christi autem facta & perpeffiones esse infinitum quod viam, & æquivalens debitæ ab omnibus obedientiæ & poenæ manifestæ falsitatis est. Debere nos etiam istud  $\lambda\upsilon\prime\sigma\upsilon\nu$  seu Christi meritum ita apprehendere, ut meritum istud infinitum, & tum officio nostrum omnium, tum poenæ æquivalens credamus; tam hoc verum est, quam meritum istud in rerum natura extare: quod licet extaret, non magis nostrum credendo, quam non credendo fieret. Et paucis interjectis. Hec peccatorum remissio, quæ via & ingentem liberationem continet, nimirum ab obligatione, & reatu æternæ mortis & liberationem talem, quæ magno impendio constiterit, fusio-“ ne nempe sanguinis Filii DEI, propterea meritò redemptio vo-“ catur

catur

catur. Impendium autem istud non eum in finem factum est, ut DEO pœnas Christus pronobis propriè loquendo penderet. *Et iterum p. 222. An mori non potuit, ut sine ulla satisfactione victima, ita volente Deo, pro peccatis nostris esset, suoque nos sanguine ab eorum reatu ac pœna liberaret &c. & pag. 270. 271. seqq. multis, inter alia: Manifestum est, ad id, ut peccator justificetur à DEO, nihil esse opus, ut fundamentum istud ab alio præstitæ pro ipso satisfactionis & obedientiæ adsit, ideoq; necesse non esse, ut cum in ipsis credentibus non inveniatur, in alio aliquo quæratur. — Propitiator erit Christus; tum quod DEUS in illo sese mirum in modum propitium humano generi declaraverit, & exhibuerit, dum per illum hominibus obtulit peccatorum omnium veniam, & vitam sempiternam, dum ipsum ad tantam suam gratiam ac clementiam testandam, & æterno fœdere sancendam in mortem acerbissimam dedit: tum quod per illum tanquam victimam à DEO pro peccatis in mortem traditam, & tanquam summum Pontificem à DEO constitutum omnes homines DEUM mire propitium sentiant & experiantur, dum nimirum per ipsum peccatorum suorum remissionem & æternam salutem adipiscuntur. P. 274. Mediatoris nomen, si cum scriputra loquamur, eum significat, non qui DEO pro hominibus satisfaciât, sed qui inter DEUM & homines, ad fœdus DEI nomine cum illis pangendum, pacemque hac ratione constituendam, interveniat. — Christus mediator dicitur inter DEUM & homines, non quod DEUM hominibus infensum placârit, ut pote qui ingenti hominum amore tum temporis sua sponte jam, flagraret &c. *Demum pag 284 idem Szlichting.* Longe hoc aliud est, quàm Christum passione sua patri pœnas peccatis nostris debitas plenissimè persolvissè. Num impetrare aliquid, est illud æquali prorsus pretio emere? Num gratiam Patris impetravit, si quid quid Pater fecit planè meritis est Filius? Annon meritum verum gratiam excludit, vel ipso Apostolo teste Rom 4, 4: Ubi enim est tale meritum, ibi est ex merito profectum debitum. Ubi tale*

de-

debitum est, ibi gratiæ locus non est. Num veniam peccatorum nostrorum impetrauit, si illorum pœnas exactè persolvit? Veniam peccatis dare, & tamen illa rigidissimè punire, annon apertè pugnant? Deniq; quid ista impetratione per mortem opus fuit, qn. qvidem Pater gratiam suam, & peccatorum veniam nobis per Christum obtulerat, & in hunc finem in mundum miserat, ut gratiæ istius lætissimo & maximè optabili nuncio mortales impleret? Non ergo ut impetraret hanc gratiam passus est Christus, sed ut illam obsignaret, & ad effectum perduceret. Volkeli l. 5, c. 20. de vera Religion. p. 562, sententia est: Christo ejusmodi affinguntur merita, quibus DEO justitiæq; ejus pro nobis, loco ve nostro satisfecerit. Meritum Christi non adæquat rem, quam mereri debebat sed ab ea superatur. Et cap. 22, de satisfact. p. 750, Postquam jam Christus pro nobis, seu vice nostrâ, legem minimè præstitisse, nec officii, quod DEO debemus, consequens est, ut nec illum cruenta morte sua justitiæ DEI pro nobis satisfecisse, seu debita nostræ quæ peccatis nostris ap. Deum cõtraxeramus, persolviss. demonstremus. Intelligend. igitur est, illos qui Christum morte sua nostro loco ea, quæ divinæ justitiæ debebamus, persolvisse asserunt, tum sanctæ scripturæ, tum rectæ rationis judicio obsistere. Idem ibidem. Deus nobis peccata, debitaq; nostra omnia remittit, et condonat per viscera misericordiæ et secundum divitias gratiæ suæ, et Christus in hunc ipsum finem est mortuus, ut remissionem peccatorum adipiscamur. At qui remissio condonatioq; debiti satisfactionem, ac solutionem pro eo creditori præstitam penitus excludit. Ad illam enim constituendam requiritur, ut creditor ex mera benignitate nomen expungat, et non modò ab ipso debitore, sed nec à quoquam alio quicquam eo nomine accipiat, dvo illud debitum compensetur. Nam si quis v. g. centum aureos quicui debeat, etiamsi ipse debitor eos non solvat, sed alius ejus loco, creditor tamen nihil dicetur remisisse. Quare si DEO pro nobis à Christo debita nostra sunt persoluta, ac pro iis abundè satisfactum, nihil nobis à Deo remittitur, nihil condonatur; nedum ut viscera misericordiæ, & divitiæ gratiæ ejus, ea in se apparuerint. Alde, quod Deus ab ipso mundi initio hominib. nulla vera satisfactione accepta peccata remisit. — Christus ideo mortuus est, ut vices nostras reverè subierit p. 576. Demus illud (quod

(quod

(quod tamen falsissimum est: Christum nimirum Deum nobis placantem: nequaquam tamen satisfactio inde rectè concludetur: cum ad quem piam placandum satisfactio non sit necessaria. Fieri namq̄ potest, ut quis vel persuasionibus ita permulceatur, ut de suo jure penitus concedat, & porro nulla Satisfactione indigeat Joachim. Ergo man von der Reformation cap. 6. doctrinam nostram de vera Satisfactione Christi refert. unter die Dinge / die weder safft noch krafft haben c. 10. confundit officium Christi Sacerdotale cum Prophetico, item cum Regio. die auffopfferung bestehet darinnen / scribit pag. 63. Daßer / nachdem er sein Blut vergossen / durch seine Simelefarth einmahl in das allerheiligste eingangen / für Gott sich dargestellet &c. & pag. 65. durch Christum als den Hohenpreister wird wiederumb unsere Sache bey Gott gleichsam angebracht und gut gemacht. Ostorrod. Instit. c. 36. Der meiste theil hält dafür / daß Vergebung der Sünden nicht geschehe ohne vergeltung und gnugthuung / wir aber gläuben schlecht durch die vergabung und verzeihung. Contra Tradel. p. 207 Christus ist nicht für unsere sünde zu dem ende gestorben / daß er Gottes des Vaters Gerechtigkait dafür gnug thäte / oder seinen Zorn wieder uns stillete; sondern daß er uns von Sünden erlösete — p. 209 Sein blut ist nicht wie eine bezahlung für unsere erlösung göttlicher Gerechtigkait gegeben. Christus hat solches nicht verdienet / daß uns Gott unsere Sünde vergebe. Vid. Catcehis. Racoviens. cap. de Morte Christi.

§. LXXIII. Est ergo thesis palmaria acceptilationis adstructrix Satisfactionis veræ destructrix hæc Sociniana: *DEUS absoluto suo jure, absolutâ & liberrima sua potentia, voluntate, misericordia condonavit generi humano offensas, & debita nullâ vera satisfactione, redemptione, expiatione accepta.*

§. LXXIV. Thesis hanc Socinus prælect Theol. cap. 15. quatuor rationibus statuminare allaborat. Una est, quod nusquam in sacris literis istius satisfactionis fiat mentio, nec alterius rei cujusquã,

quæ tantundem valeat. *Alter*, quod compluribus in locis aperte testantur Sacræ literæ, nullam in justificatione nostra per Christum satisfactionem intervenisse. *Tertia*, quia satisfactio ista DEI gloriam maximè obscurat, & Christi potestatem labefactat. *Quarta* verò & ultima, quia fieri nullo modo potest, ut, salvis nobis, pro peccatis nostris DEO satisfactum fuerit, ne per ipsum Christum quidem. De *quarta* verò ratione scribit in hunc modum cap. XVIII. non potuit per pœnarum solutionem pro peccatis nostris satisfieri, duplici potissimum de causa: quarum una hæc est: quod pœna nostris peccatis debita mors æterna erat; mors autem æterna corporalis pœna est. „At corporales pœnas nemo pro altero pendere potest. Pecuniariæ pœnæ ideò pro altero pendere possunt, quia unius pecunia alterius officii potest: &, cum quis pecuniam pœnæ nomine pro alio quopiam solvit, tunc is, pro quo solvitur, tacitè re ipsa prius ea pecunia donatur, ipseque eam solviisse censetur. At mors unius, corporisve ulla vexatio alteri fieri, ò potest. *Alter* causa est quod, cum unus quisque nostrum propter peccata sua æternam mortem deberet, (sic enim, ut rem diligentius explicemus, loquendum nobis est) unus autem quispiam non nisi unam æternam mortem solvere possit, necesse fuisset totidem invenire, qui æternam mortem subirent, quot nos sumus, qui ipsi scilicet nihil peccassent, neque ei pœnæ pro seipsis solvendæ obstricti essent. Adde quod, etiamsi maximè fieri potuisset, ut alterius sive unius, sive plurium innocentium æterna morte pro nobis nostrisque peccatis DEO satisfieret; id tamen ut fiat, nulla ratio patitur. Quid enim iniquius, quam in fontem pro fontibus puniri, præsertim cum ipsi fontes adsunt, qui ipsi puniri possunt? Quod si ex DEI ipsius sententia atque decreto, nec filius ipse propter patris peccata, nec pater propter peccata filii puniri debet; quomodo tandem fieri potest, ut ipse DEUS pœnas peccatorum nostrorum ab alio ullo reposcere voluerit? Atque hoc pro *tertia* causa esse potest, cur pro peccatis nostris, salvis nobis, DEO satisfieri non potuerit. His de causis non dubitat Socinus, dogma de

satis-

72  
 satisfactione Christi vocare frigidum, falsum, absurdum, foedè sum-  
 meque injustum, & horribiliter blasphemum. Sic enim scribit,  
*libro III. de Servatore c. X*, Vides igitur præter cætera iniqua & absur-  
 da, in quam horribilem blasphemiam incidere, dum Christo pec-  
 cata nostra imputari potuisse contendis. Vide eundem de Ser-  
 vatore lib. 3. ubi 12. rationes adducit Catechis. Racovi. cap. 8. Ostor-  
 rod. Instit. c. 36, 37, contra Tradel. P. 3. c. 1, Volkel. l. 5, cap. 22. de vera  
 relig. *Slichting*. contra Meisner. p. 222. seqq. *Gittich* in epp. ad Lu-  
 dovicum Lucium.

§. LXXV. Colligamus in certum ordinem argumenta, quibus  
 suffulcire conantur ruinosam suam acceptilationis structuram. Ne-  
 gatâ verâ satisfactione Christi ajunt: *Condonatio peccatorum debito-  
 rum, offensarum, hominibus à Deo contigit. sine ulla vera satisfactione Christi, qua-  
 lem comminiscuntur Evangelici. Talis enim Satisfactio 1 Fallax est.  
 2. Erronea. 3. non necessaria. 4. pugnans cum finibus Satisfactionis & mortis  
 Christi. 5. injustum & tyrannum Deum faciens. 6. Absurda & impia &  
 impossibilis. 7. Perniciosa. Methodo destructiva potissimum, sicut ali-  
 es, ita etiam hîc, uti vides, procedunt in hoc negotio & sic destruendo  
 nostram sententiam veram, suam adstruere laborant hæresin.*

§. LXXVI, *Fallacem sententiam de Satisfactione Christi esse dicunt  
 ex eo: quod vocabulum SATISFACTIONIS non extet in Scriptura, neq;  
 etiam phrasas æquivalentes. Ita Socinus l. 2 de Christo Servat. c. 26 et passim.  
 Ostorrod. Instit. l. 36. et in Judic. contra Tradel. P. 3. c. 1. p. 210. Catech. Ra-  
 coviens. p. 227. s. Volkel. l. 5. c. 21. de vera Relig. &c: Cavet tamen  
 Socinus, à se non vocem nudam Satisfactionis, sed rem ipsam eâ vo-  
 ce expressam oppugnari. Vid. Grot. de Satisfact. cap. 7. p. 109. Mirum  
 etiam est, quod memor non sit responsionis datæ Franc. sco Davidis,  
 qui negavit, Jesum Christum esse invocandum, inter alia usus hoc argu-  
 mento, quod nullibi æternus pater præceperit, ut filium suum invocemur,  
 neq;: Filius unquam dixit: me invocate. Respondet Socinus: Ridiculum  
 est literam eo sensu, quo tu facis, postulare. Non enim uno tantum ver-*

### SECTIO TERTIA.

*bo, sed multis, sive singulis, sive pluribus ea sententia exprimi potest &c.*  
 Meminisse hæc debet. *Catechis. Racov. expressè p. 223: Consecutiones admittere, æquum est, cum ex Scripturis necessariò adstruuntur &c.* Jam respondetur ad objectionem Socini I. Vocabulum SATISFACTIONIS *tot iteris & capitib. non extare in Scripturis cõceden lo,* non enim Latino, sed *Hebræo Græcoq;* sermone Biblia conscripta sunt, & sic nulla in iis hujus vocabuli mentio fieri potuit, res tamen ipsa satis clarè in Scripturis Sacris proposita, quo I. Christus DEUS homo pro nobis exsolverit, divinam legem impleverit *Psal. 69. 6, Matth. VIII, 17, Rom. VIII, 3,* Hinc maxima improbitas est, censente *Augustino. lib. 4, de Trinitate,* si quis vocabula improbet, quæ non aliud explicant, quam quod Scripturis expositum traditur. Innotuit usus hujus vocabuli, quantum quidem invenire licuit, *seculo IV,* Usurpavit siquidem hoc vocabulum *Ambrosius Mediolanensis de Esau, sive fuga seculi c. 7, Tom. 4, oper. p. m. 318, f. Suscepit enim & mortem, scribit, ut impleretur sententia, satisfieret iudicatio per maledictum carnis peccatricis usq; ad mortem.* Nihil ergo factum est contra sententiam DEI, cum sit divina conditio impleta sententia, *Anselmus Centuar. secul. XI. in libr. de concept. virgin. & P. O. ut & Bernhardus seculi XI. Pater usi sunt hac voce.* Desumserunt ex classicis autoribus tum ex foro civili. Vid. *D. Calov. Socinis. Martini Lexicon. Grot. de satisfact. c. 7* Viderunt pii Pp. salutis nostræ negotium in scriptura nobis, ut *processum Forenses* describi, huic igitur negotio accommo latissimum fore hoc vocabulum rati sunt. Sicut enim aliàs in disputatione cum adversariis peculiare terminos assumerunt, *partim* explicationis, *partim* distinctionis, *partim*, melioris & solidioris refutationis gratiã Ita etiam in hoc negotio, postquam provida mater Ecclesia vidisset *Socinianorum* colluviem omnia Scripturæ dicta, quæ *de efficacia & fructibus* passionis mortisque & obedientiæ Christi loquuntur, sic aulterasse, ut meritum Christi, & satisfactionem conculcare liberius posset; hinc terminum SATISFACTIONIS adhibuit: cum res ipsa ipso termino expressa per omnia  
in verbo



in verbo DEI exprimatur. Ea certè in universum (præsertim Socin. a-  
 norum) est pervertitis hæreticorum, ut phrasæ & locutiones Scriptu-  
 ræ, modo hûc, modo illuc detorqueant, & pervertant, & longè ali-  
 um sensum exsculpant, adeoque sub involucris lateant. Quare om-  
 ninò conveniens, & necessarium est, tales phrasæ, & locutiones  
 adhibere, quibus è latebris in lucem hæretici extrahi possint, & sic  
 omnibus perspecta sit ipsorum astutia, & fraudes. In disputatio-  
 nibus cum Nestorio, Eutyce etc, Ario tales certè Scripturæ Sacræ con-  
 formes adinveniendæ erant phrasæ, & locutiones, quibus nostra  
 doctrina omnibus vera esse probabatur, hæreticorum verò falsa.  
 Observes autem contra Photinianos, eos propria vineta cædere  
 negant satisfactionem Christi, quòd secundum literam non extet  
 in Scriptura sacra; cum multis terminis utantur, qui in scriptura non  
 inveniuntur e. c. credunt Photiniani: quòd DEUS cœlum & terram  
 ex nihilo condiderit, nonnulli materiam conditori *συνοδὸν* faci-  
 unt; ut & Christum esse invocandum, Christum post acceptum bap-  
 tismum in cœlum ascendisse &c. Ostendant hoc ex scriptura, ut &  
 discrimen inter libros canonicos, & apocryphos, ut & Liberi Ar-  
 bitrii, & Sacramenti vocem. Sed si vel maximè vocabulum hoc quo-  
 ad literam in scriptura extaret, non tamen abstinerentur illud clude-  
 re. Habemus confitentem reum Socinum, qui apertè P. 3. c. 6, de  
 Servator. scribit: *Ego quidem etiamsi non semel, sed sæpè in sacris monumen-  
 tis scriptum extaret (Christum pro peccatis nostris satisfecisse DEO)*  
*non idcirco tamen, ita prorsus se rem habere, crederem.* Non affimilia ver-  
 ba Socini produximus supra. V. Refut. Catech. Racov. c. 8. p. 464. f.  
 Franck. de sacrif. disp. 17. §. 37. Stegman. disp. 22. Photin. p. 244 Meisner.  
 Anthropol. p. 231. Feuerborn. fasc. 4, p. 46. Grot. de satisfact. c. 7. Essonium de  
 satisfact. p. 599, Wren. increp. Bar Jesu sect. 55.

§. LXXVII. Falsum tamen est, in Scriptura S. non inveniri phra-  
 ses æquivalentes, quæ satisfactioni respondeant. Hebræas, Syriacas,  
 Chaldaicas, Rabbinicas, Græcas evolvit D. Schmid. de satisfact. §. 26.  
 27. Ostorrod. tamen P. 3. c. 1. contra Tradel. dicit, se nullam æquivalentem  
 phrasin.

phrasin invenire potuisse in Scriptura; & cum eo faciunt socii jam citati. Ostensum ipsis abundè est, quam plurimas in Scriptura sibi inveniri æquipollentes phrasas, à B. Meisner. Anthropol. Dec. III. disp. 25. 26. & Consider. Theol. Phot. cap 5 artic. 9. Balduin. Refut. Catech. Racov. 403. s. Hutter. L. C. p. 417 seqq. Feuerborn s. r. p. 681. Franz. de sacrificiis disp. 17, §. 37 Josua Stegman. disp. 22. Photiniani p. 245. D. Schmid § 27. Alting in Catech. expl. p. 223. Grot, de satisfact. Christi c. 7. Sed quid si ab ipsis exigeremus ut æquipollentes phrasas nobis demonstrarent doctrinæ suæ, quando docent: Christum Salvatorem esse quia in suis concionibus salutis ratio ostenditur vel quia suo exemplò salutis modum docuit, vel quia non satisfaciendo sed prædicando nos redemit. Demonstrabunt eas nunquam. Nos verò magno numero valemus producere æquipollentes locutiones. Ebr. V. 5. Christus dedit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam. 1. cor. XV. 2. 2. cor. V. 14. s. 1. Petr. III. 13. Christus pro nobis & nostris peccatis passus, & mortuus est. Matth. XX, 28. animam suam dedit *ὑπὲρ πολλῶν* pro multis, seipsum pro omnibus *ὑπὲρ πάντων* dedit. Esa. LIII. 4, DEUS incurrere fecit peccata nostra in Christum. Iohan. I. 29. 1. Petr. II, 24. peccata portavit. 2. Cor. V. 21, Deus eum, qui peccatum nō novit, pro nobis peccatū fecit, ut nos efficeremur justitia Dei Galat. III, 13. redemit nos pretioso suo sanguine Coloss. I. 14 1. Petr. I. 19 emit nos 1. Cor VI. 20. Huc pertinent dicta quæ de reconciliatione nostra cum DEO à Christo facta loquuntur. Huc pertinent etiam sacrificia & victimæ Veteris Testamenti, quæ singulæ fuerunt typi satisfactionis aliquando per Christum pro peccatis nostris exsolvendæ &c. Cui postremo argumento fatetur Socinus ipse P. 2. c. 16. de Salvatore: magnam vim probationis Lutheranæ doctrinæ inesse.

§. LXXVII. ERRONEAM porro clamitant esse doctrinam SATISFACTIONE CHRISTI. Idque conantur probare ex eo, quod contrarietur Sacra Scriptura & sanae rationi. Scriptura Sacra, inquam, contrariari, eam siquidem expressè dicere: Gratia DEI, solâ misericordiâ nos salvari, ubi au-

au-

autem est gratia. illic meritum locum non habet. Catech. Racov. c. 8. q. 2, 228, Ostorrod I. citand. Gittich. p. 90. Crell. I, I. P. 2. contr. Croc. Socinus P. 3c. 2. de Servator. Volkel. i. 5. c. 22. Adducunt loca quædam scripturæ S. Exod. XXX. III. 19. & Rom. IX 15. argumentantes: Si Deus miseretur, quorum vult. E. remittit etiam peccata ex mera voluntate sue misericordie, sine ullo intuitu alicujus satisfactionis per Christum præstitæ. Ad Junt Rom III. 24 justificati gratis & c. c. VI, 23. Gratia autem Dei Vita æterna in Christo Jesu. Unde ὁλοκλήρωσ Ostorrod. P. 3. c. 1. p. 211. contra Tradel. Vergeben schenken/ gnade/ gabe/ umbsonst/ hat mit den zahlen/ und gnugthun nichts zuschaffen/ ja sie streiten also mit einander / daß eines das andere nothwendig ausschleusst/ und eines dem andern weichen muß. Addunt Esaiæ XLII. 25. Ego deleo iniquitates tuas propter me, dicit Dominus; E. absolute propter seipsum, & non propter satisfactionem aliquam, DEUS nobis remittit peccata. Argumentantur porro: Si Deus non remitteret peccata absolute ex mera gratia, sed propter præcedentem satisfactionem, tum frustra misericordia & bonitas Dei in scripturis prædicaretur, Absurdum posterius. E. Præmonent hic Theologi nostrates, Socinianos insidiosè agere in hoc negotio, dicunt quædam misericordiam & gratiam DEI nos salvari, peccata nobis remitti; sed quid hoc mensuri est, quod misericordiam DEI, quatenus ingreditur actum justificationis nostræ non esse naturalem sive essentialem Dei proprietatem in Deo dicant, sed tantummodò actum quasi secundum sive contingentem liberæ voluntatis effectum. Ita Socinus P. 1. c. 1. de Servator. et P. 3. c. 1. Idem Socinus duplicem comminiscitur misericordiam. Una Dei misericordia, est, inquit, quæ respicientibus, ut ipsius promissa ferunt, omnia scelera condonat, & salutem vitamque largitur. Altera, quæ planè homines prævenit, et peccatores universos ad se allicit: Illa perpetuò utitur, hæc verò demum cum sibi libuerit. Illa nihil aliud significare videtur, quam Deum propensissimum quædam esse ad misericordiam, et ad delicta hominibus condonanda, sed tamen eos non absolvere, qui nocentes et rebelles esse pergunt neque resipiscunt; Hæc verò nihil aliud notat, quam liberrimum illum voluntatis actum, quod interdum, Imò sæpius peccata condonat.

Quid jam intendunt Sociniani, misericordiam DEI negantes esse proprietatem DEI essentialem? Hoc intendunt, ut satisfactionem Christi veram destruant. Nam si misericordia in DEO sit tantum contingens aliquis actus, sive effectus liberæ voluntatis, jam non potest esse determinata ad certum aliquod satisfactionis decretum, & sic nullum respectum habebit ad justitiam DEI vindicativam, vel ad ullam aliquam satisfactionem. Sed sine fronte negant Sociniani, misericordiam Dei esse naturalem & essentialem DEI proprietatem. Sciendum autem, principium miserationis esse DEO naturale, & essentiali. aliàs Deus non foret Deus, nisi misericors. Et huc quadrat Canon: Nihil est in DEO, quod non sit ipse Deus. Stabit igitur hæc nostra assertio, si intra ipsam Dei essentialiam misericordia Dei consideretur, notans erga homines affectum paternum. Quod si misericordia Dei ipso actu foras progrediatur & operetur, tum utique negari non potest, illud fieri ex libera, & non coacta Dei voluntate. Erit ergo actus primus simpliciter Deo essentialis, neque a voluntate Dei demum dependebit; sed sicut alia attributa, justitia, sapientia &c. simpliciter erit cum essentiâ divinâ convertibilis. Actus verò secundus potest vel exerceri, vel non exerceri, & sic suam a voluntate habet dependentiam, quæ tamen dependentia non statim faciet duplicem misericordiam Dei Socinianam, sed tantum effectum misericordie determinat. Exemplo res clara erit. Creatio hujus universi, nonne est effectus omnipotentia divine? utique, hic effectus dependet eatenus ex libertate voluntatis in Deo quatenus non ab æterno, sed in temporis principio, quando DEO visum, mundum creare voluit, quatenus etiam hunc ipsum effectum retrahere, & mundum creare non potuisset. Quis tamen dicet, geminam esse omnipotentiam divinam. Applicemus hoc ad nostrum scopum. Ex libertate voluntatis DEUS hominibus remittit Peccata; quia verò misericordia DEI actionis hujus est principium non potest dici contingens effectus liberæ voluntatis. Hoc tamen dici potest, quod actus iste secundus misericordie divinæ, suo etiam respectu de a pendeat liberi voluntate DEI, ipso iterum agendi principio

cipio essentialiter in Deo residente. vid. *Stegm. Photinianism.*  
*ἐπιτομή*. I. p. 671. Cum ergo Socinus non distinguit inter *δύναμιν*  
 & *ἐπέργεσθαι*, effectum, & causam, illuc delabitur, ut misericordiam  
 Dei, peccata remittendi, effectum voluntatis divinæ dicat, cum  
 tamen potius habeat se instar cause, & voluntas concurrens cau-  
 sam tantum *modificet* non vero *efficiat*. Et his sic probè observa-  
 tis, cadunt facilè, & eluuntur Sophisticationes Socini, Smalcii, qua-  
 les sunt I. *Naturalibus Deus semper utitur. Sed Misericordia non*  
*semper utitur* E. Pro minore stabilienda adducunt *Exod. XXXII.*  
*miserebor, cujus miserebor, de quo loco ut & aliis mox.* Major  
 vera tantum est *in actu primo*, non vero *in actu secundo* foràs  
 promanante. Nam ut proprietates foràs progrediantur, & a-  
 ctum aliquem sive effectum in creaturis exerant, id non depen-  
 det ab *absolutissima perfectione essentiae Dei*, atq; sic non est abso-  
 lutæ necessitatis, sed dependet hic actus à *liberrima Dei volun-*  
*tate*; non tamen fas erit colligere E. proprietates Dei desinunt  
 esse naturales. 2. Ajunt *misericordia liberè Deo inest. E. na-*  
*turalis ipsi non est.* Resp. Falsum hoc esse. Nonne enim Deus  
 liberrimus est, quod est? quid ergo obstat quo minus omnes  
 proprietates, quantumvis essentialia, liberrimæ sint, quod sint.  
 Ludit autem Socinus voce *Liberi* quæ *contingens, sive accidentari-*  
*um* quid intelligit; cum tamen *liberum* aliàs ei opponatur quod  
*non liberum, sed coactum, & servum* est, sic liberum arbitrium, ser-  
 vo arbitrio. Non secus vocem *naturale* sumit pro *ἀναγκαστικῆν*  
 quædam naturæ constitutione; cum tamen in Deo sit liberrima  
 conditio Essentiæ. 3. Insulsa illatio est, *misericordia est contraria*  
*justitiæ divinæ. E. neutra est proprietas in Deo.* Hoc certè *ἀτόπον*.  
 Ex hac illatione Socinianorum sequeretur: *essentiam constare ex*  
*contrariis*; Qui ergo esse posset simplicissimum idem? *Objectivè*,  
 si effectus, quatenus in hominibus exerit Deus consideres, *diver-*  
*sitas*, nulla vetò *contrarietas* erit. Ratio asserti est; quia hi di-  
 versi effectus, dependent à causis subordinatis. Deus vult con-  
 donare peccata, *sed* *his* qui credunt in Christum, & in his se exe-  
 rit misericordia Dei; quia vero plurimi hominum non credunt;  
 justitia divina se exerit, non *absolutè*, quod probè in utroq; effectum

observandum, sed *ordinate*; quia hi posteriores non credunt, Bene igitur veneranda Antiquitas, & horum vestigia premens Orthodoxia Christiana in hoc negotio *admirabile temperamentum* intercessisse dixerunt, sine ulla tamen pugna, vel contradictione. Elumbe est quod tandem. 4. adferunt Sociniani: *Misericordiam esse agritudinem animi, tristitiam & dolorem ex aliena miseria conceptum. E. non potest esse in Deo proprietas naturalis. Cicero l. 4. Academ. qq. p. 52. m. & lib. 4. Tuscul. qq. p. 231. m. l. 2. officior.* Verum hoc de misericordia humana, non item divina, quæ nullis animi perturbationibus subiecta est. Huc pertinet regula Philosophi Christiani: *Termini, qui respectu nostri ac ratione impositionis primò conveniunt creaturis; cum Deo, & divinis rebus debent applicari, prius liberandi sunt, & purgandi ab omni imperfectione.* Vid. Kestler. *Logic. Photin. sect. 1. c. 1. p. 35.*

§. LXXIX. His ita præmissis, dicimus & nos: *gratia Dei nos salvari, non tamen excludentes satisfactionem Christi, uti faciunt Photiniani: Totus error Socinianorum in eo est, quod opponant ea, quæ tamen amicissimè subsistere possunt; Opponunt dicta scripturæ de gratia Dei loquentia satisfactioni alienæ, cum deberent opponere Satisfactioni propriæ. Non certè sequitur: Deus requisivit satisfactionem à Christo Sponsore, ac interveniente pro hominibus. E. homines non salvantur ex gratia, & misericordia Dei non gratis. Sed ita inferendum erat: Deus equipollentem, & sufficientem satisfactionem accipit ab hominibus. E. non purè ex gratia illis remittit offensam. Jam verò sic prius falsum erit. Bene monuit B. Meisner. *Anthropol. Dec. III. disp. 26. §. 29. quadruplici respectu nos gratis & solà misericordia salvari. 1. Respectu decretæ Satisfactionis; Consilium enim Dei, medium liberationis sine omni nostro merito, vel pretio procuravit, quod certè magnum dilectionis gratiæ argumentum, Johan. III, 16. Sic Deus dilexit mundum, Roman. V, 8. Commendat Deus charitatem suam, 1. Joh. IV, 9. In hoc apparuit charitas Dei, &c. 2. Respectu gratuite acceptationis, si pro rigore justitiæ suæ agere voluisset, nullo modo relaxatio minima legis locum habuisset, simpliciter enim repudiare**

diare

diare potuisset alienam Satisfactionem, juxta illud *Ezechiel. XIX.* anima que peccavit, moriatur. Quia igitur Deus suscepit alienum meritum nobisque illud imputavit, proque nostro habuit, hoc ipso misericordiam suam luculenter demonstravit. Notandum autem relaxationem legis divinæ quoad nos, non autem quoad Christum cogitandam esse; ipse enim perfectissime sine ulla relaxatione implevit legem, contra *Grotium*, uti suo loco dictum. 3. *Respectu justitiæ legalis.* Legi enim perpetuò opponit Apostolus Paulus gratiam, vide *Capp. 3, 4, 5, 6, 7, 11, &c.* atque perpetuò infert: Qui per fidem in Christum salvantur, illi non salvantur per legem, legi & Bonis operibus vocabulæ hæ, gratis, ex gratia opponuntur, nunquam merito, & satisfactioni. 4. *Respectu gratuite imputationis & infuse fidei.* Decretum de salvando genere humano, missio Filii sui, ut pro nobis satisfaceret, ex gratia, ergo etiam imputatio ex gratia. Hanc etiam fidem sine nobis, in nobis generat, id quod maxime misericordiæ est argumentum, *Psalms, XXXII, 1, 2.* Beati quorum remissa sunt iniquitates, beatus vir, cui non imputavit Deus peccatum. Non ergo absoluta voluntate condonat Deus peccata, sine ulla vera Satisfactione. De voluntate Dei, ex Scriptura S. judicium querendum, quæ docet quidem ex gratia nos salvari, nusquam verò absolutâ gratiâ, vel libertate, sine satisfactione, vel saltem alienâ. Exempla à *Socino* adducta, *Abelis, Noæ*, quibus thesin suam διαφυλάττειν allaborat, contrarium probant; cum *Ebr. XI.* longa serie demonstratur: pios Veteris Testamenti non nisi per fidem in Christum, remissionem peccatorum consecutos esse, in specie de *Abele*, quod fide obtulerit sacrificium, v. 4. *Noa* dicitur præco iustitiæ, 2, *Petr. III, 9.* Prætereâ: si Deus ex absoluta gratia ulli peccata condonasset, Christus non satisfacisset pro omnibus, non omnibus requisivisset remissionem peccatorum. Falsum consequens. Deniq; si Deus ex absoluta gratia sine interveniente Satisfactione Christi, &c. homo coram Deo citra redemptionem, & expiationem, per Christum factam justificaretur. Consequens falsitatis arguit universa Sacra Scriptura, E. Vide si placet *Meisner, Anthropolog. p. 244.* *Gerh. de justificatione. Hut-*

ter, L. C. p. 415, Feuerborn, Syntag. I. p. 785. Essen. de Satisfact. p. 297. Vren. increpat. Bar Jesu sect. 55. Alting. explic. Catech. p. 223. Smigl. p. 165. refut. Nov. Monstr. Grot. p. 95. de satisfact.

§. LXXX. Sed respondeamus jam ad loca allegata Scripturæ, *Exod. XXXII, 19.* collat. cum *Rom. IX, 15.* miserebor cui voluero. *E. non propter satisfactionem alienam.* Repetimus superius dicta, Opponi scilicet voluntatem Dei, & misericordiam, satisfactioni Christi, ut *contraria*, quæ tamen *subordinata* sunt. Iam vero Subordinata non pugnant, nec se mutuo tollunt; Habere autem hæc duo se ut subordinata, nemo tam hospes erit in *Scriptura S.* qui ignoret. Deinde vult Deus misereri hominum secundum ordinem à se sancitum, ut omnes credant in Christum. Liberè, non autem *absolutè* hic agit Deus. Deus *liberrimè* obdurat contumaces *liberrimè* damnat infideles, non tamen *absolutè*; quia omnis induratio est pœna *E.* fit ob præcedentia peccata, & ita non *absolutè*. Viderint *Calviniani*, absoluti decreti fabricatores, quid *Sociniani* ad hoc dictum reponere possint, in vanum certè sudabunt. Vindicationem hujus dicti vide apud *Taufner.* disp. apolog. 2. contra Piscator. §. 46. *Franz.* de Interpret. Scriptur. Oracul. 29. prolixè. T. 1. *Disp. Giess.* p. 740. 741. T. 6. p. 63. disp. 6. *Hülsem.* Vindic. §. 34. *Hutter.* L. C. p. 407. *Calov.* Theol. Apostol. orac. 69. seqq. &c.

§. LXXXI. Respondemus ad *Esaia XLII, 25.* locum, qui sic habet: *Ego deleo iniquitates tuas propter me,* non *absolutè* illud *propter me* intelligendum esse, quasi Deus sine Satisfactione Christi velit delere peccata, & quasi Deus & Christus se mutuo tollant, quoniam cum una sit in Divinis Essentia, non ea dirimenda est. Patet ergo cuilibet, illud *propter me*, non opponi *merito Christi*, sed *nostris meritis*, uti aliàs ostenditur. Eadem ratio solvendi est dictorum, quæ *Sociniani* coacervant, & sunt: *Eph. II, 8.* Gratia salvati estis &c. 2. *Tim. I, 9.* Salvos nos fecit. *Tit. III, 7.* Iustificati gratis &c. Non inquam hic gratia aliqua *absoluta*, secluso merito Christi, in his & similibus dictis locum habere potest.

§. LXXXII. Cum igitur *Sociniani* Scripturæ suffragio destituantur, ficulnea *rationis auxilia* conquirunt, converrunt.



i. Dicunt: *Non magna liberalitatis est satisfactionem exigere, cum liberaliter condonare possis.* Resp. Verum id est, si satisfactio exigatur in propriam exigentis utilitatem, & nulla necessitate interveniente. Ea autem satisfactio, quam Deus exegit à Christo, non tam in Dei quam nostram utilitatem redundat; eâ enim Charitas nobis conspicua redditur, eâ nobis infinitus thesaurus divinæ gratiæ & misericordiæ comparatur. *Insuper hæc satisfactio Christi non est ex bonis nostris, sed ex bonis Christi, ita ut liberalitatem nobis ostenderit Deus in eo, quod peccata sine ullis meritis nostris, quæ nulla, remiserit.* Etsi ergo extra considerationem rectoris & judicis, Deus liberaliter, nulla satisfactione accepta potuisset nobis peccata condonare, quod liberum sit privato unicuique de jure suo cedere; tamen bono communi, id non expediebat, quatenus non aliter quam rex & judex considerandus. De privato commode si agatur, laudabile est, absque satisfactione debita condonare; cum verò de bono communi res est, non possunt aliter publicæ personæ, quam delicta punire. Vid. *Essen. de Satisfact. p. 585. Grot. de Satisfact. c. 2. &c.* Nocet enim communi bono illa impunitas, & reddit homines ad peccandum magis proclives. Vnde pathetica detestatio divina illicitæ indulgentiæ, & impunitatis legitur *Proverb. XIIII, qui justificat impium, & condemnat justum abominabiles uterque apud Deum, junge Esaiæ V, 23. qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justis auferetis ab eo, confer Deuter XXI. 21. Vid. Richter. Axiomat. Histor. axiom. 130. & Polit. ax. XI. p. 31. Ludovic. Caracciol. Specul. Princip. l. 4. c. 5. 6. Didac. Saavedr. Emblem.* Sed de hoc respectu judicis *supremi & Rectoris, quem Deus in actu sustinet, suo loco.* Remisit tamen etiam Deus de jure suo in tantum; nos enim plecti, & puniri debeamus; ut ergo justitiæ suæ vindicativæ satisficeret, filium suum pro nobis tradidit. Est quidem essentielle pœnæ, ut infligatur ob peccatum; sed non semper, ut illi ipsi qui peccavit infligatur, illustrat hoc *Grotius de Satisfactione Christi c. 4. Similitudine præmii, gratiæ, ultionis.* Nam præmium sæpe in benè meriti liberos, aut cognatos, & gratia in propinquos ejus, qui beneficium contulit, & ultio in

ejus qui offendit, amicos conferri solet: neq; eò desinunt esse quod sunt, præmium, gratia, ultio. Huic illud accedit, quod si contra naturam esset pœnæ, infligi ei qui non peccavit, jam hoc ipsum non *injustum* esset dicendum, sed *impossibile*. At qui vetat Deus ob patris delictum puniri ab hominibus filium, non vetantur autem *impossibilia*. Præterea injustitia propriè non accidit *relationi*, (qualis est punitio) sed ipsi *actioni*, qualis est materia punitiois. Et hîc verum discrimen quæri necesse est, cur non æquè sit omnibus liberum punire aliquem ob alienum peccatum atq; est præmio afficere, aut gratiâ ob alterius meritum aut beneficium. Actus enim cui inest præmium, aut gratia, & actus *beneficus*, qui sui natura omnibus permittitur. At actus cui pœna inest, est actus *nocivus*: qui nec omnibus, nec in omnes concessus est. Quare ut pœna justa sit, requiritur, ut actus ipse *pœnalis sit in potestate punientis*: quod tripliciter contingit, aut antecedenti jure ipsius punientis, aut justo ac valido consensu ejus de cujus pœna agitur, aut ejusdem delicto. Cum per hos modos actus factus est licitus, quo minùs deinde ordinetur ad pœnam peccati alieni, nihil intercedit, modò inter eum qui peccavit, & puniendum aliqua sit conjunctio. Conjunctio autem hæc est aut *naturalis*, ut inter patrem & filium, aut *mystica*, ut inter regem & populum, aut *voluntaria*, ut inter reum & fidejussorem. Confer *Essen. de Satisfact. l. 2. c. 8. p. 573. & Ward. Determ. Theol.*

§. LXXXIII. 2. Ajunt: *Deus nobis remittit peccata nostra sicut nos proximo delicta remittere debemus*, Matth. XVIII, 27. At qui nos sine ulla Satisfactione. E. Sic Socinus P. 3. c. 2. Gittich. Epist. p. 7. *Ostorrod. contra Tradel. P. 3. c. 1. p. 212.* Egisset ergo Christus contra præceptum latum, & res esset mali exempli si ipse exigeret Satisfactionem. Sic habent ejus verba: Diese lehre macht aus Gott einen / der böse Exempel wider sein eigen Wort von sich gebe. Nemlich / da er uns geboten / daß wir unsern Feinden gern vergeben sollen / habe er solches selber nicht thun wollen / biß ihm gnug geschehen / daß also die Unbarmherzigen und Rachgierigen ihre Unbarmherzigkeit und Rachgierigkeit mit dem Exempel Gottes beschönnen können /

können/wider das/was der Apostel geschrieben / daß wir Gott imi-  
 tiren/und seinem Exempel nachfolgen sollen/in Vergebung der Sün-  
 den/die er uns durch Christum geschendet hat / *Ephes. 5, 1.* Resp.  
 Utrumque Scripturam dicere, *tum* quod Christus pro nobis pre-  
 tium persolverit, *tum* quod peccata nobis gratis remittantur, &  
 quod hac in parte nos Dei clementiam imitari debeamus. Est  
 ergo ( uti sæpius dictum ) remissio gratuita, *respectu nostræ proprie*  
*solutionis*, non autem *respectu Christi*, qui totum quod erat sol-  
 vendum ex affe exsolvit. Deinde dicimus Remissionem offen-  
 sarum *gratuitum quid esse inter homines*, ita tamen ut *aliquid satis-*  
*factionis* una includat, vide penitus locum, *Matth. V, 23, 24.* &  
 patebit dictorum sua veritas, confer *Matth. XII, 16.* Relinque  
 munus tuum ante altare, *inquit Salvator*, & vade prius reconci-  
 liare proximo tuo. Loco posteriori dicitur: *Si peccavit frater*  
*tuus in te, vade, & corripe eum.* Vides igitur homines offensam  
 remittere debere, post factam correptionem & deprecationem,  
 quæ est *Satisfactionis loco*. Si jam hæc vox in *genere sumatur*, pro  
 qualibet justâ reconciliationis causa & modo, condonabit etiam  
 Deus nobis debita nostra, quoniam præcessit satisfactio Christi,  
 sed quod majus est, Deus non habet in remittendis peccatis re-  
 spectum *nudi alicujus creditoris* uti quidem contendunt Sociniani  
 sed potius *justissimi judicis*. Neque enim, verba sunt B. Meisners  
*Anthropol. Dec. 3. disp. 26. §. 43.* putandum est, Deum peccata  
 non versari, non punire, sed æquè affectum esse erga peccata &  
 non peccata. Absit hoc à Deo justissimo, cujus natura est ipsa  
 justitia; cujus lex est immota & invariabilis; cujus commi-  
 nationes sunt veraces & immutabiles. Quando igitur homo  
 peccat in Deum, tum offendit ejus justitiam, violat leges, incurrit  
 minas, & ante tribunal sistitur. Ubi Deus certè tanquam *justus*  
*Index* sine omni satisfactione debitum condonare, & Peccato-  
 rem impunitum dimittere nequit; nisi seipsum negare, legem  
 suam ipse tollere, imò minas verbumq; suum mendacii arguere  
 velit. Omnia hæc quoad homines cessant, nec locum inveniunt.  
 Nam homo non est prima justitiæ regula, non principaliter *con-*  
*tra ipsum*, sed potius *in Deum*, dilectionem proximi præcipien-

tem

tem delinquitur; non habet rationem *personæ publicæ*, aut Magistratus, *sed privati*; non extat lex aut mandatum de exigenda satisfactione, sed potius *contrarium*. Homines *equalis sunt conditionis*, & alter alterum sæpius offendit, ideoque sine Satisfactione remittere potest imò & debet, ob præceptum Domini. Deus autem *nihil nobis debet*, & causas prægnantes habet, cur debitum absque λύτρω dimittere *tum* nolit, *tum* nequeat. Declarari hæc possunt similitudine judicis; hic quâ *privatus*, injurias remittere potest, sed quâ *judex* nocentem sine satisfactione absolvere non potest. Quid ita? quoniam sic violaret justitiam, transgredere-  
tur leges, & mendax foret in comminationibus. Jam verò Deus in Scripturis se *judicem* profitetur, qui ad tribunal vocet omnes delinquentes, eosque vi legis suæ puniat, nec antequam satisfactum sit justitiæ suæ & legi dimittat. Quare hinc luculentum fit, aut pœnam debere infligi, aut satisfactionem interponendam esse. Iniquus enim foret Judex, si reum ad tribunal delatum absolveret, nullumque supplicium dictaret. *Hactenus Meisnerus.* Nec tamen frustra Deus *imitationis exemplum* nobis proponitur, sed ut inde discamus, quod etiam nos offensas proximo nostro remittere debeamus, si modo distinguas inter *misericordiam ipsam*, & *modum misericordie*. *Imitatio* virtutis, inquam, nobis *Lucæ VI, 36.* injungitur, non verò *modus*. Non tali certe *modo* Deus est misericors, quò homines, aliàs talis misericordia, si simile ultra tertiū extendendū esset, requireretur, quæ non parceret filio suo; sed pro aliis in mortem traderet, quousque se extendit misericordia Dei. Consistit ergo conformitas hæc 1. *in re*, ut misericordes simus, sicut Deus noster etiam misericors est. 2. Sicut nos Deus, quoad nos, *sine operibus* justificat, ita etiam nos nullum λύτρω, vel pretium ab ipso exigamus. 3. Sit *Sincera*, & non fucata. Ultra hoc tertium simile non est extendendum. Non patrocinator causæ Socinianæ *parabola de Rege remittente servo suo pecuniarium debitum*, etiam hæc ultra scopum principalem extenditur. Si enim sic colligere liceret, sequeretur: omnes facinorosos promiscuè impunè dimittendos esse. Hic enim servus tantum rogavit Dominum pro remissione, & habuit, quod voluit, ita dimittendi essent omnes facinorosi, si modo prostrati veniam rogent, ubi

ubi

Ubi autem manebit præceptum Dei rigorosum, quod Magistratui injungitur, malos & facinorosos puniendos esse, *Deut. 21, 22. ubi manebit finis Magistratus divinitus intentus? Rom. XIII, 4. non sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit, quod probè contra Socinianos observandum, qui docere non erubescunt: facinorosos non afficiendos esse capitali supplicio.* Sic Christus se etiam confert *furi, nos dispensatori infideli, Lucæ XVI, 8, 9, de alieno largienti, non quòd aut ipse idem alienum subtrahat invito domino, aut quod nos idem facere oporteat; Sed quod ipse ex improvviso venturus sit, & nos facere debeamus ex proprio, quod ille fecit ex alieno.* Ita *Matth. XVIII.* commendatur nobis benignitas in proximum, ne sæviamus in eum statim quamvis solvendo non sit; nam & Deus in nos non sæviit, cum nos solvendo non essemus. Jam quod Deus admiserit Satisfactionem Christi vice nostri præstitam, illud ipsum extantissimum argumentum misericordiæ ejus in nos est, quod ipse scilicet nobis nihil tale potentibus, vel scientibus, invenerit, & dederit modum summæ gratiæ exuberantissimum, & liberationi nostræ maximè necessarium. Conveniunt igitur Rex ille in parabola & Deus, *quod benigni sint in eos, qui longè infra se sunt positi.* Hanc benignitatem testatur Deus, *pœnas remittendo, Rex remittendo pecuniam debitam.* Ut ergo aliud debendi genus, ita & aliud remittendi. Disconveniunt in eo Rex, & Deus, *quod rex citra ullam Satisfactionem; Deus vero non citra Satisfactionem Christi remittat. Sed in eo non consistit nervus comparationis, uti paulo ante dictum, nam quia creditum, ut utilitatem privati creditoris spectat, statuendi, & remittendi quisq; habet liberrimam potestatem, & quò minùs exigit vel si prorsus nihil, liberalior, imò effusè liberalis est: Pœna autem, quia ad bonum publicum, & communem *εὐλαζίαν*, & disciplinam conservandam pertinet, alia res est, eam remittere pro lubitu *rector & iudex* non potest. Non certè in jam citata parabola Christo propositum fuit redemptionis nostræ per Christum factæ naturam exponere, sed tantum officii nostri nos commonefacere. Quæsiuit Petrus v, 21. *Domine quoties in me peccabit frater meus, & dimittam ei.* Respondet Christus semper & quoties peccaverit. Id quod declarat parabola à Rege servo suo ma-*

gnum debitum condonante. *Crellius, Socini hyperaspistes §. 27* putat comparationem ultra tertium à *Socino* non extendi. Nam cum ipse *Grotius* fateatur: commendari hic Dei in nos benignitatem, quam testetur remittendo nobis pœnas; eamq; illustrari comparatione benignitatis, quam Rex exerceat in servum suum, pecuniam illi remittendo; necesse est, ut illa remissio pœnarum, quæ Deo tribuitur, cum remissione pecuniæ debitæ, quæ Regi tribuitur, quoad benignitatis rationem conveniat, eique sit similis; non verò admodum dispar ac dissimilis: præsertim ita, ut Rex pecuniam servo remittens multò sit benignior, quam Deus esse censeatur pœnas nobis remittens. Rectène huc accommodari possunt verba illa; Totum debitum remisi tibi, quia me rogasti, in quibus benignitas regia explicatur? Certè non magis, quam si Rex idem, pro pecuniâ illâ decem millium talentorum, passus esset sibi, sive ab ipso debitore, sive ab alio, solvi rem, quæ istorum decem millium talentorum pretium æquaret, & ipsi æquè utilis esset, & sic demum obligatione servum liberasset. An ulla prorsus futura fuisset Regis illius benignitas, &c. Resp. *Essenius* p. 583. 1. Necesse esse utrobique benignitatem cerni, sed eundem modum benignitatis cerni, minime necesse, alia siquidem pecuniariorum, alia criminalium ratio. 2. Nullo modo Regem in parabola Deo benigniorem esse; Deum enim infinitam obligationem remittere, illum finitam, idque nulla satisfactione, aut solutione ab ipso debitore postulata, sive, ut de suo solveret, sive alium sibi substitueret. Sed Deus in satisfactione, quam exigebat iustitia, modum invenit, Sapientiæ & misericordiæ suo convenientissimum, ut Augustinus amat loqui, nobis nil tale cogitantibus, vel sperantibus, Notandum etiam est, Regem illum non prorsus absolute sed sub tacita virtuali conditione, ut similem benignitatem ipsa & proximo suo præstaret, nam cum proximum suum ad solutionem 100. numulorum obtorto collo adigeret, & immisericorditer in carceres compingeret, rescidit rex gratiam suam, & remissionem debiti. Quid mirum igitur, si Deus conditionem huic materiæ necessariam incluserit, de Satisfactione scilicet per sponsores ab ipso datum, præstanda, & convenientissimam rationem percipiendæ istius salutis ordinârit. Similitudo de Rege, & principe munifico & benigno huc non quadrat. Nos his non immoramur. s.

§. LXXXIV. Ajunt porro: *Nulla modo dici potest gratis illum dimissum esse, qui λύτρον solvit.* Catech. Racov. p. 262. Ostorrod. & alii, l. c. Quî enim, *inquiunt*, posset aliquis è captivitate Turcica dici liberatus gratis, qui tamen λύτρον pro liberatione sua solvere coactus est. Sed nec hoc simile quadrat, 1. Turca pecuniæ inhiat, & hostis est, Deus judex, qui justitiæ suæ satisfactum vult. 2. Capti à Turca carent culpâ, non sic homines, qui peccatores sunt. 3. Captivi detinentur à Turca per vim & tyrannidem; nos per maledictionem legis, & justitia divina sic exigente. Vid. *Meisner. diss. 16. Anthropol. Decad. III. p. 250.*

§. LXXXV. Quid ἀφιέναι, & χαρίσαι in hoc negotio sit, de eo *Critici* consulendi. Paucis tu nota: Socinianos turpiter lapsos esse, qui putarunt: *dominium aliquod ad creditum antecedere.* Sed toto cœlo, quod dicitur, aberrarunt. Vox enim Græca ἀφιέναι, vel *Suida* teste hoc verbo *Schmid.* in Not. N. T. ad cap. III. Matth. v. 16. & cap. V. v. 40. significat *proprie*, à se amovere, atque ita sumitur *Matth. IV, 20. Hi autem statim relictis retibus secuti sunt Jesum.* Per translationem, seu metaphoram significat, *deserere, dimittere, permittere*, frequentissimè autem *alicujus rei rationem non habere*, qualiter etiam Latini efferunt: *missum aliquid facere.* Inde Græci Scholiastæ τὸ ἀφιέναι per τὸ ἀμελεῖν reddunt aus der Acht lassen/ nicht achten. Ita ferè usurpatur *Matth. XV, 14. ἀφετε αὐτοῖς missos facite eos,* *Cap. XII, 12. relictis ovibus, quærit eam quæ oberraverat.* *Marci VII, 8.* Itaque ἀφιέναι ἀμαρτήματα significabit peccata missa facere: in mare projicere *Mich. VII, 19.* Latini poëtæ redderent, *ventis tradere in mare raptanda ea, quæ extra curam ponunt homines.* Opposita sunt, ut vides *missum aliquid facere, & retinere non secus ἀφιέναι & κρατεῖν ἀμαρτίας, Joh. XX, 23.* Missa ergo facere peccata, ea non curare, delere peccata, tegere idem est quod non recordari. *Jerem. XXXI, 31, 34. Psalm. XXV, 7. LXXIX, 8. Ezech. XXXIII, 16. Cap. XII, 22.* Non recordari autem, ut Latinum ignoscere, significat *punire nolle.* Sicut ergo in jam recensitis vocabulis non recordari, delere, missum facere, tegere, retinere nolle, non est dominici juris, aut crediti significatio, ita nec in verbo ἀφιέναι. Verum quia verbum hoc, quod missum facere significat, generale est, ideò & ad ea, quæ in do-

minio habemus, & ad nomina, & ad res alias pari jure aptatur. Sic & vox *χαρίζεσθαι* docente Grotio c. 2. de Satisfact. ad omne gratificandi genus pertinet. Christus cæcis τὸ βλέπειν ἐχαρίσατο Luc. VII, 21. Ita Judex in gratiam alicujus hominem condemnans, aut absolvens dicitur alteri *χαρίζεσθαι* Act. III, 14. XXV, 11, 16. Omnia hæc eò tendunt, ut demonstretur, nullum ea voce, aut *dominium* aut *creditum* necessariò significari. Voces Latinæ *donandi*, *condonandi*, *remittendi*, productæ à Socinianis in hoc negotio, non veniunt in considerationem, cum non extent in Sacra Scriptura Originali, producuntur à similibus ad similia. *Donare* proprie est, id quod sub dominio alicujus est, gratis alienum facere; *pœna* ergo non proprie *donatur*, nam quod donatum est, antea existit & postea manet, pœna nec fuit antequam donaretur, & donando efficitur ne existat. In eo verò similitudo locum habere potest: sicut enim *donator* habet jus in re, ita *rector* in pœna; non tamen idem jus æque liberum; Nam jus domini, est domini causâ; jus puniendi boni communis gratiâ. Secundam convenientiam ostendit Grotius l. c. in eo esse, quod tum in donatione jus donantis, tum in impunitatis concessione, jus quod fuerat rectoris ad puniendum tollitur. Tertiam, quod & donatio, & impunitatis concessio nascatur ex eodem fonte benignitatis, & alteri profit. Vides ergo *donandi* vocem non tam hîc sed etiam alias transferri ad ea in quibus jus dominicum nullatenus locum habere potest: Ita *donari* dicitur aliquis à Magistratu, civitate, vacatione, honore, præmio; Ita Seneca moram donare dixit pro auferre moram, in alicujus gratiam; sic tempus donare aliis. Sic rude donatus, *Donativa* coronæ victoribus in ludis donabantur apud Festum. Vid. titulum de donationibus. Maximil. Sandei Theolog. Juridicam, p. 317. seqq. Martini Lexicon. Vossii Lexicon Etymol. p. 186. Grot. de Satisf. p. 52, 93. Essen. contra Crell. de Satisf. l. 2. c. 8. Remittere idem est quod ἀφίεναι à se amovere. Sic eques frenâ remittit, aures remittuntur, & per translationem, custodia, disciplina, animus; & opponuntur sibi remitti & intendi. Hinc *creditum* remitti dicitur, cum ejus nulla habetur ratio: nec aliter pœna. Neque ea vox aptatur pœnæ propter *creditum* neque *credito* propter pœnam: Sed utriq; propter aliud, in quo illa inter se conveniunt. Propriè ergo loquendo



do non dicimus poenam alicui deberi, quia hic nemo etiam verè creditor, latè tamen, & minus propriè dicimus poenam debere Deo; ut enim creditor jus habet debitum suum exigendi, ita rector habet jus puniendi. Quæ contra hæc *Crellius* regessit in sua *Refutat.* Contra *Grotium* ea protrivit *Andr. Essenius* de *Satisfact.* contr. *Crell.* l. 2. c. 4. p. 482. seqq. & *Cap.* 8. p. 587. seqq.

§. LXXXVI. Iterum objiciunt: *Verum meritum Christi pugnat cum gratia, dilectione gratuita.* Ita *Socinus* P. III. cap. 6. de *Servatore.* *Volkel.* de vera Religione, l. 5. c. 22. *Szlichting.* contr. *Meisner.* p. 122. f. Vide superius dicta, ubi multis ostendimus non pugnare, sed optimè & convenientissimè ad invicem stare posse, quare nil addimus. Vid. *Sibr. Lubbert.* de Christo *Servatore* contra *Socinum* l. 3. c. 6. Et sic hæctenus *Sociniani* indefesso labore, erroneam nostram doctrinam esse ex *Scriptura,* & *ratione* ostendere orbi volentes, Saxum volverunt.

§. LXXXVII. Distendunt tamen impudentissimi, & impij homines rictus suos pestilentissimos, & non contenti una impietate, impietates cumulant & totos se impietati mancipant neque rivos impietatis claudunt. Injuri hi hostes in Satisfactionem Christi amplius illam elevare, & perfundare conantur, asserentes: *Satisfactionem Christi non esse necessariam, sed supervacaneam.* Sic iterum *Sociniani* locus citat. l. 1. c. 1. *Christum non Satisfecisse,* neque ut Satisficeret, opus fuisse affirmat, vid. §. nostrum. 72. *Necessitatem Satisfactionis* Christi probavimus superius ex illis dictis *Scripturæ,* quæ necessitatem indicant *Matth.* XXVI, 39. *Ebr.* II, 9. 10. *C.* VII, 26. εἰς ἔμπροσθεν *Cap.* IX, 23. ἀνάγκη *Matth.* III, 15. Sic enim decet ἄριστον εἶναι (non tantum pro decore sed etiam pro iusto sumitur, justum est *Psalms.* XXXIII, 1. rectos decet collaudatio *Lutherus:* Die Gerechten sollen ihn schon preisen. *Ebr.* II, 10. *C.* VII, 26. *Eesai.* LIII, 6. 7. seqq. 10. Oportet illud innuit necessariò impletionem Legis vicariam fieri debuisse, quod patet ex parabola *Matth.* V. 18. Vbi extra omne dubium agitur de obligatione generis humani ad præstandam hanc impletionem. Quando ergo *Christus Matth.* III. dicit εἶπω sive hac ratione, hac immersione in aquam impleri per me, inevitabiliter sequitur impletionem istam veram, necessariam, & vicariam pro hominibus fuisse.

fuisse. Afferuimus sufficienter necessitatem Satisfactionis Christi, videamus jam quibus mediis Sociniani eam impugnare irritotamen ausu studeant.

§. LXXXVIII. Dicunt necessaria non est satisfactio Christi. I. *Quod in Deum non cadat ira.* Socin. P. I. c. 8. Crell. contra Grotium apud Essen: de Satisfact. l. 2. c. 4. p. 432. Ostorrod. p. 239. 242. Instit. Catech. Racov. p. 231. f. Mendacem oportet esse memorem, Socinus agnoscit l. 1. c. 1. iram interdum significare affectum (si ita loquendum est) puniendi Johan. III, 36. Ira Dei manet super eum Rom. I, 18. Revelatur enim ira Dei de cælo: sæpè etiam poenam ipsam Mich. VII, 9. Iram Domini portabo, unde & ἀπολείας id est exitii voce explicatur Rom. IX, 22. Vide Grot. de Satisfact. p. 29. Ostensum jam dudum est Socinianis, omninò in Deum cadere iram quod restantur 1. Minæ. 2. Facta. 3. Dicta. 4. Rationes. Meisner. Anthropol. Dec. III. disp. 26, p. 278. Feuerborn. Synt. I. P. 3. diss. 4. p. 581, seqq. Essen. de Satisfact. p. 9. seqq. Nonne Deus dicitur ob peccata nostra irasci Exodi XXXII, 10. Odio nos prosequi ob peccata Psalm. V. 7. abominari peccata Proverb. III, 32. Inimicus noster dicitur, ob peccata Esaia LXIII, 10. Ira autem Dei non est turbulentus affectus in Deo, qualiter in hominibus, quod observasse debebat Socinus, & Crellius, & sic in Deo innuit ultionem & vindictam. Eleganter hoc effert August. in Enchir. ad Laurent. c. 33. & de Essentia Divinitatis. Irasci „dicitur Deus, non animi motu, vel qualibet perturbatione, quæ „illi omninò accidere non potest. Zelare dicitur, cum nullum peccatum impunitum vult relinquere. Affectuum nomina Deo attributa, ab imperfectionibus perpurganda sunt, veluti jam monuimus Vid. Danbauer. hodosoph. p. 150.

§. LXXXIX. Dicunt porrò: Non necessariam fuisse Satisfactionem Christi II. quod Deus non iratus fuerit generi humano. Æq; absurdè & impiè. Contrariū patet ex jam dictis, sed quomodo hoc probant? I. adducunt locum classicum Rom. V, 8. seqq. Commendat autē Deus charitatem suam in nobis cum adhuc peccatores essemus, &c. Sed non vident Sociniani, quod hunc, & alia loca in perniciem propriam, & contumeliam Christi adducant. Respondeant modo ad questionem: Num ita Deum absq; Christo fuisse placatum hominibus credant.

ut etiam peccata hominibus ab *q.* Christo remissa esse arbitrentur? Si affirmarint: Sequitur frustra Filium Dei venisse in mundum, hoc fine, ut tolleretur peccata mundi, frustra pro peccatis mortuum esse. Consequetur & hoc: *nulla* peccata esse in mundo, Deo enim hominibus placato, peccata eo ipso remissa sunt, peccata autem remissa manere non possunt. Omne enim debitum remissione tollitur. *Si vero dixerint aliquibus non omnibus remitti peccata*, certe cum charitas illa & dilectio Dei in dando filio sit erga omnes nullo excepto, omnibus quoque nullo excepto, propter hanc dilectionem peccata remittentur. *Si negarint* peccata eo ipso hominibus remissa esse, sequetur Deum hominibus propter peccata iratum fuisse. Dari ne potest major offensa, & ira gravior quam cum quis inimico suo offensam remittere non vult? *Deinde* Scriptura (quam jam adduximus) docet peccata antequam remittantur, Deo exosa esse, & odio haberi. Addunt Sociniani *Johan. III, 16.* Sic Deus dilexit mundum, &c. Distinguunt *orthodoxi* inter dilectionem Dei *generalem*, & *specialem*. De *generali* Dei dilectione hæc loca loqui probant; De *speciali* verò *Ephes. I, 6.* Dilexit nos in dilecto. Vides *ὑποδοξισμὸν* in dilecto. E. non absolutè sine hoc dilecto. Concedimus *Socinianis*, generalem dilectionem *precessisse* mortem, meritum, & Satisfactionem Christi; quoniam ex singulari amore & benevolentia Dei factum est, ut filium suum mitteret ad redimendum genus humanum. Hæc solos electos concernens, mortem ejus fiducialiter apprehendentes, sequitur; Deus enim speciali sua dilectione non nisi eos diligit, qui meritum suum fide applicarint. *Illam* fuit causa ordinandæ mediationis, & reconciliationis Christi, *hæc est* velut effectus & consequens reconciliationis per Christum factæ. Utrumque Apostolus innuit. Vid. *D. Calov. Theol. Apostol. oracul. 43. Meisner. Anthropol. p. 246.* Nulli sunt Sociniani argutantes: Nusquam scripturam perhibere: *quod Deus nobis sit reconciliatus per Christum, sed tantum nos Deo reconciliatos esse.* Egregium acumen Socinianum! nonne eodem res recidit, *sive* Christum dicamus nos Deo reconcilasse, sive Deum nobis; utroque enim modo inimicitia, quæ Deo cum hominibus intercescit sublata est. Inimicitia hæc fuit *mutua*, qualis nunc est Dei & Diaboli, homo fuit à Deo *aversus* & inimicus, & Deus homini propter peccata

offen-

offensus. Sed quæres, *quare tamen scriptura subinde dicit nos Deo reconciliatos esse, non autem reciprocè Deum nobis reconciliatum esse?* Resp. Deus pars *offensa* fuit, homo offendens, qui jam alium offendit, quæ-  
 rere debet *media*, ut ei reconcilietur, quamvis offensio induxerit u-  
 trinq; inimicitiam, *Matth. V, 23.* Injungitur parti offendenti ut recon-  
 ciliari studeat proximo, & uxori *I. Cor. VII, 11.* ut marito reconcilietur,  
 licet utrinq; inimicitia intercesserit, cui tamẽ offendens causam dede-  
 rit. Ex abundanti ostendit *B. Meisner. disp. 26. Anthropol. §. 79.* quam-  
 vis hæc verba *Deus nobis reconciliatus est per Christum* non extent in  
 Scriptura, extare tamen *verborum sensum.* Nam si Deus nobis ira-  
 tus est, & à nobis abalienatus fuit, & vero per Christum OMNIA re-  
 conciliata sunt in cœlis *Coloss. I, 20. Ephes. I, 10.* Utique & Deus ipse  
 nobis per mortem Christi reconciliatus est, *Ephes. II, 16.* Dicimur  
 reconciliari Deo per sanguinem Christi, cujus effusio principaliter  
 requirebatur ut sublato peccato homines Deo reconciliarentur, &  
 Deus ipsis. Vid. *Grauer. disp. de merito Christi p. 183. Meisner. l. c.*  
*Calov. Theol. Apostol. p. 203. Gerb. de justific. §. 41. Feverb. l. I,*  
*p. 593. Essen. p. 308. VVren. Incred. Barjesu sive Refut. Catech. Ra-*  
*cov. col. 4238. Tom. IX. Bibl. Critic. 2. Ineptè iterum Ostorrod. p.*  
*239. l. Catech. Racov. p. 274.* Deus ipse nos *per Christum reconcilia-*  
*vit qua propter nobis non succensuit, sed dilexit; jam vero hostem esse &*  
*diligere vel sibi reconciliari contraria sunt.* Concedimus nos Deum sibi  
 sed non nisi pretio redemptionis reconciliasse. In priori cernis mise-  
 ricordiam, in posteriore justitiam Dei, utrumq; invenies *2. Cor. V, 18.*  
 Deus nos sibi reconciliavit per Christum, v. 21. eum qui non nove-  
 rat peccatum pro nobis peccatum fecit. Concurrunt hic *Charitas,*  
*& justitia.* His præsuppositis nulla hic contrarietas, *respectus modo*  
*diversus observetur.* Dilexit nos ut creaturas suas, misere deceptas,  
 & de reparatione iniit consilium. Odit nos Deus ut peccatores ob-  
 minarum infallibilitatem & hac de causa Filium suum execrationem  
 & peccatum fecit. Declarat hoc *B. Meisner. l. c.* exemplo Davidis,  
 qui Absolonem diligebat, ut *filium,* odio prosequeretur ut *hostem,*  
 sic pater diligit filium ut *filium,* irascitur ut *petulanti.* Sic Deus Judex  
 justus irascitur *peccatoribus;* interim tamen ut misericors pater dili-  
 git nos generaliter ut *creaturas suas.* Ut igitur omnibus modis com-  
 pleta

pleta

pleta esset dilectio, qua nos diligeret specialiter, reconciliatione opus fuit, ne veritas & iustitia ejus labefactaretur. Non ergo de novo prorsus nos amare incipit Deus, sed per passionem Christi sublata est omnis odii causa.

§. XC. 3. *Deus ad iram tardus dicitur: E. non iratus generi humano.* Leve & nullam hoc est. Vel enim *ira* vocabulo intelligunt ab alienationem animi, vel pœnam, ad pœnam *tardus* dicitur, semper tamen odio habet impium. Pergunt 4. destruere necessitatem satisfactionis Christi, quod *Deus non habuerit sufficientem causam Christum puniendi* Socinus lib. 3. c. 1. inquit: quid enim causæ fuit ut istum filium innocentissimum Deus tam execrabili & dira morte afficeret, voluerit cum satisfactionis nil opus esset. Sed sufficientissima ea fuit uti videmus ex enunciatione causarum. Tractat hoc contra Socinianos *Grotius* cap. 5. de Satisfact. Christi, qui tamen cautè legendus, explodit ibi causas Socini, quem vide ut & *Essenium* contra *Crell.* l. 2. c. 7. multis. Causas sufficientes habuit. Christus enim noster Sponsor fuit, qui excutiendus erat, &c.

§. XCI. Hinc 5. negare audent *Deum Christum punire voluisse propter peccata nostra, non exegisse pœnam peccatorum nostrorum.* Socinus l. c. Opponimus iis quam plurima Scripturæ testimonia *Rom. IV, 25.* Christus traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, *I. Cor. XV, 3. I. Petr. III, 18, Esa. LIII, 5.* attritus est propter scelera nostra, *v. 10.* Dominus voluit eum conterere, Deus conjecit in Christum peccata nostra, &c. Quæ hic reponit *Socinus*, solvere ex jam dictis facile poteris, vid. *Calov.* Socin. p. 453, confer *Grot.* cap. 6. de Satisfact. *Vossius* Judic. contra *Ravenberg.* cap. 8. 9. *Essenius* de Satisfact. contra *Crell.* l. 2. c. 6. & 8. p. 568. *Exempla indulgentiæ ablata vel pœnam temporalem* innuunt quæ ad tempus dilata, aut in alios translata, vel pœnas æternas. Si de pœnæ æternæ remissione agatur nullo certè argumento solido probari poterit cuiquam citra respectum Dei ad Christum remissa esse peccata. Quæ regessit *Grotio* *Crellius* §. 25. refutat *Essenius* l. c. p. 30. Confer *Wal.* T. 1. op. p. 40. Rationes Socini videbimus in sequentibus. 6. Impugnant necessitatem Satisfactionis ex eo: *Quod Deus in V. & N. T. citra ullam veram satisfactionem Christi homines salvos fecerit.*

*Socinus* l. 3. c. 2. de Servatore & epistol. 9. & P. 2. c. 26. ad Andr. Voldovium p. 571. Epistol. Ostorrod. contra Tradel. *Volkel.* l. 5. c. 22. p. 571. cujus postremi hæc verba: *Deus ab initio mundi hominibus nulla vera satisfactione accepta peccata remisit, Cur ergo non magis novi fœderis tempore, ubi gratia Dei maxime viget.* *Smalc.* Resp. ad lib. *Smiglec.* nov. monltr. p. 4. c. 31. *Catech. Racov.* l. c. Videntur hæc speciem veri habere, quod tempore V. T. meritum Christi actu nondum fuerit. Sed ad hoc jam responsum est supra. In signo certè rationis divinæ, meritum Christi, & quod Deus facere decrevit pro jam facto habetur, & dummodo debitum verè solvatur, nihil refert quo tempore id fiat, præsertim apud eum, qui omnia futura Tempora, præsentia intuetur, videt, quod nec ipse *Socinus* diffitetur: *Αὐτοῦτοῦ* est: *Deus V. T. Patribus promisit remissionem peccatorum & quidem gratuitam. E non accepta satisfactione per Christum.* Sophistæ subordinata iterum inimicissime sibi opponunt, utrumque dicit Scriptura, erit ergo scriptura cum scriptura conferenda, & quæ scriptura non semper jungit, ex aliis locis supplenda. Vide huc *Johan.* XIV, 6. Nemo venit ad Patrem. *Actor.* IV, 12. Non est in alio salus, &c. cap. XV, 10, 11. Credimus nos per gratiam, &c. *Heb.* X, 8. *Jesus Christus heri & hodie, ipse & in secula,* *Apocal.* XIII, 6. *Agnus occisus ab origine mundi.* Vel unum argumentum à sacrificiis peti- tum (cui maximam vim probationis Latheranæ doctrinæ inesse fa- tetur *Socinus* P. 2. c. 16. de Servatore) falsitatis convincit *Socinianos*, quod laudabili studio pertractavit & deduxit noster *Franzius* *dispp. de sacrificiis.* Omnia hæc sacrificia sine fide in Christum nil prode- rant, respectum habentia ad unicum summum, & perfectissimum sa- crificium. Quæ de *Abele, Enocho, Ezechia, Ninivitis* adducunt pro suo errore palliando *Sociniani* enervantur his: De *Abele, & Enocho* expresse testatur *Ebr.* XI. quod fide in Christum salvi facti sint. De *Ezechia* & aliis V. T. fidelibus in genere *Luce* X. Multi Prophetæ &c. desiderarunt videre, quæ vos videtis. Et perpetuo verum est axio- ma Apostolicum *Ebr.* X, 3. Justus fide sua vivet. In N. T. Deum ci- tra ullam satisfactionem Christi peccata remittere voluisse æquè falsum est. Nullæ sunt consequentiæ Photinianæ i. sequeretur tempora Christi fuisse rigidiora temporibus ante Christum, & non tam liberalem fuisse

fuisse

fulsse Deum his seculis gratia, quam illis seculis iræ. 2. Deum instituisse talem remissionem peccatorum sub N. T. qualem sub V. T. promiserit, *Jerem. XXXI, 31.* Resp. ad prius *Negando*: Siquidem uti in N. T. *ex gratia* mediatoris datur remissio peccatorum sine operibus legis; Ita etiam in V. T. non nisi *ex gratia* & satisfactorio merito Christi. Resp. ad posterius: Prophetam respicere ad *abrogationem oneris Judaici* in ceremoniis constituendis cum sub Christo illud cesset *Ebr. VIII, c. VI, 15.* Propitius tamen secundum *Jeremiam* fuit, quamvis pro iniquitatibus sibi plene satisfieri voluerit, 1. quia satisfactio ea nihil nobis constitit; sed Christo: non potuimus enim magis liberari à debito; quam per omnem à debito solvendo liberationem. 2. Propitius fuit hominibus *promittendo, & mittendo* filium suum. Falsus ergo *Socinus* iterum est, qui dicit: *Deum ante Christi adventum nihil exegisse à peccatoribus, nisi veram ad Deum per pœnitentiam conversionem & obedientiam divinorum mandatorum, nulla facta alicujus Satisfactionis mentione.* Resp. Non qualemcunque pœnitentiam exigit ab hominibus ad remissionem peccatorum consequendi, sed illam tantum quæ in fide promissi redemptoris fundabatur. Quorsum enim Redemptorem misisset, si illos per nudam ipsorum pœnitentiam in gratiam recipere constituisset? Falsa siquidem est sententia Photinianorum Scholasticorum, & qui eos sequuntur: *Mittendum Messiam fuisse, etiamsi Adam lapsus non fuisset, ad docendam immortalitatem eis, quos ab initio etiam in statu innocentie mortales condiderat.* Aliàs enim ostensum est hominem non fuisse mortalem in statu instituto creatum. Quæ in contrarium adferentur à *Socinianis* ex dictis probè observatis corrumpunt, vide *Franz. diss. 17. de Sacrificiis. Feuerborn. f. 1. p. 772, 801. Calov. Socin. p. 634. seqq. Sib. Lubb. de Servat. l. 3. c. 2. Smiglec. ref. nov. Monstr. p. 160. f. Valens de Satisfact. T. 1 op. p. 405. Alting. L. C. P. 2. p. 560. Mares. diss. select. p. 586. Apologia nostra A. C. p. 70. sic sentit: Patres narrant de Christo, quod Deus propter Christum vellet remittere peccata.*

§. XCII. 6. Necessitatem Satisfactionis ex eo infringere volunt, quod *DEUS* sit author nostræ reconciliationis. Qui ergo per Christum jam reconciliatus, reconciliari poterat? *Ostorrod. Contra Tradel. c. 1. p. 211. Volkel. l. 5. c. 22.* Sed quis non videt *Socinianos*

iterum more suo pessimè disjungere, quæ conjungi debebant, videlicet Deum sibi nos reconciliaffe per sanguinem Christi *Rom. V. 10.* Reconciliati sumus per mortem filii ejus v. 11. per Christum reconciliationem accepimus *Ephes. II, 4.* Deus cum mortui essemus concivificat nos in Christo v. 15. Christus reconciliat ambos Deo per crucem &c. In his dictis reconciliatio *non tantum Deo Patri, excluso Christo, sed expresse partim dilectioni Dei, partim merito Christi tribuitur.* Consilium de facienda reconciliatione Deus ex mera misericordia iniit, & sic rectè dicitur, *nos sibi reconciliaffe,* quoniam reconciliationem procuravit, & media invenit. *Executio vero sive causa meritoria nullatenus excludi debet, nam eo fine missus est filius Dei ut consilium exequeretur, tum agendo, tum patièdo.* Reconciliavit ergo nos sibi pater, non per nudam acceptilationem, sed mittendo filium. Filius nos Patri reconciliavit *patiendo* per crucem & sanguinem. Reconciliavit nos Pater ut *causa prima & remota,* Filius ut *causa meritoria & proxima.* Patri *πρωτως* & originaliter, Filio *meritorie competit.* Vid. *D. Calov. Socin, p. 522. Meisner. Anthropol. p. 256. Hutter. L.C. p. 415. Essen. de Satisfact. 274. seqq. & 603. Smiglec. refut. nov. Monstr. p. 139.* Non igitur *simpliciter nos DEO reconciliati sumus priusquam Christus pro nobis placamen fieret;* Scriptura enim non dicit: quod *Deus nos extra Christum diligit,* sed quod nos elegerit, dilexerit in Christo *Ephes. I, 4.* Si nos elegit in Christo, E. non *simpliciter,* sed respectum habendo in Christum. Si porro Deus placatus est, antequam Christus nos illi reconciliaret, quæro per quem placatus est? Num forsitan *per seipsum,* atqui sic non loquitur Scriptura, insuper impossibile etiam est, præsertim si Deum in hoc negotio consideres ut Rectorem, & Judicem, qualem respectum proprie loquendo hic obtinet. Contigit ergo per Christum hæc reconciliatio. Abs onum videtur rationi *Sociniana,* reconciliationis & sic satisfactionis medium Deum de suo largiri. Atqui sic præeuntem habemus Scripturam S. in locis antea allegatis, *Rom. III, 24. s. 2. Cor. V, 15. 25. Esai. LIII, 4. seqq.* Desinat ergo stultus *Gittichius p. 61.* stultitiæ arguere *benignitatem DEI & ineffabile misericordiae & justitiæ temperamentum,* scriptitando: *Sordes cum maxima stultitia conjunctæ sunt, non munificentia est, donare alteri quidpiam;*

piam;



pian, quod statim ab eo recipias. *Quis me non delirum diceret, si aperta crumena mea juberem debitorem mea pecunia mihi solvere, annon prestaret, sine crimine stultitiæ, quod per istas deliras ambages facio, statim ipsi debitum condonare.* Deliras pessime, stultum hoc dicendo, quod etiam in natura stultum dici non potest. Quis enim stultum dicat illum, qui creditori monstrat alium creditorem, qui loco sui debitum exsolvere possit. Deus Pater monstravit, sed & dedit nobis Filium suum, ut loco nostri daret *ἀντίλυτρον* 1. *Timoth.* II, 6. 1. *Johan.* IV, 10. admirandum temperamentum, sorditiei, & stultitiæ accusas ingratus homo. Simile tuum mirum quam claudicat; Nam nonne *aliud est* ex propria crumena pro alio solvere & illud quod solutum est crumena suæ iterum ingerere; *aliud* etiam est judicem movere, & movere alium, ut judici satisfaciat qui non tam privati, quam publici & *communis boni* observator est. Etiamne hoc tibi, stulte, stultum videbitur & sordidum, si princeps observantissimus legum publicarum, clementiâ tamen & misericordia impulsus, ex ærario suo proprio dari curaret aliquam summam pecuniæ reo, quæ sufficiens esset exsolvere multam dictatam bono publico. Est ergo Deus author reconciliationis nostræ, non quod extra Christum ipsi per totum reconciliati fuerimus, non quod omnem offensam nobis statim remisit, sed quod rigorem illum justitiæ, quo uti poterat, & omnem reconciliationem respicere, multum relaxans obtulerit, & ordinarit nobis tam singulare medium ad placationem sui, exinde promanantem remissionem peccatorum.

§. XCIII. Ut Sociniani Acceptilationem suam & non veram Satisfactionem, sive solutionem fictam obtinere; Veram autem elidere possint, producunt novum medium dicentes: Satisfactionem Christi à nobis IV. *pugnare cum finibus mortis Christi.* Fines veros & adæquatos mortis satisfactionis à falsis discernentes adduximus. Non ergo moramur illos, qui fines alios quærentes, verum finem negligunt & sine scriptura duce alios fingunt, *subordinata* sibi invicem opponunt, *conjungenda* divellunt, *effectus* cum causis confundunt, *secundarios* primariis finibus præferunt. Vid. *Gerb.* de Justif. §. 473. *Hutter.* L.C. 401, 431. *Baldwin.* Refut. Catech. *Racov.* cap. 8. *Meisner.* *Confid.* Theol. Photin. c. 5. *Calov.* Socin.

nian. p. 327. seqq. Grot. de Satisfact. p. 32. seqq. Essen. Contra Crell. lib. 2. Sibrand. Lubbert. de servat. p. 21. seqq. Contra Socinum P. 1. c. 2. seqq. de Servator. & instit. p. 86. Ostorrod. contra Tradel. p. 3. cap. 1. *Sylchting*. contra Meisner. p. 222. & p. 134. Vide §. nostrum 72.

§. XCIV. V. *Impiam nostram de Satisfactione doctrinam esse*. plenis buccis clamitant, ut quæ in primis labefactet Deum, justitiam & potentiam Dei. *Justitiam* quidem Dei, *iniquum tyrannum* erga proprium filium & genus humanum comminiscendo. Ostorrod. p. 3. cap. 1. contra Tradel 213, Diese Lehre macht aus Gott einen Tyrannischen / und ungerechten Gott / der / da an uns armen Menschen nichts zu erhalten war / damit ihm nichts desto weniger gnug geschehe / und die Schuld bezahlet würde / uns / die Schuldigen / hat fahren / und den Unschuldigen an unser Stell ihme bezahlen / und für frembde Schuld und Sünde leiden und sterben lassen. Welches denn streitet mit dem / daß er sonst gesaget / daß niemand für eines andern Sünde / sondern eine jegliche Seele für ihre eigene Sünde leiden soll: Deut. 24. 16. 2. Reg. 14. 6. Ezech. 18. 20. Socinus P. 3. c. 11. de Servat. & alii. Nullo modo facimus Deum Tyrannum innocentem filium suum pro nobis nocentibus & peccatoribus mortitradendo; Nulla inquam ratione crudelis dici potest Deus quod pro toto genere humano lapsio hominibus redimendis ad tempus in mortem tradiderit Filium suum innocentem. Nulla hic tyrannis, cum Deus ex amore & summa dilectione, filium dederit pro redimendis hominibus Job. III. Sic Deus dilexit mundum ut filium unigenitum daret. &c. Rom. V. 8. Commendat autem Deus Charitatem suam &c. Nulla tyrannis; nam Christus volens, sciens, lubens, summo desiderio homines liberandi à morte æterna se stitit, ut Sponsorem; Jam autem volenti non fit injuria Psalm. XL. 10. Ecce venio &c. Esai. LIII. 7. Oblatus est quia ipse voluit. Johan. X. 18. Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: Sed ego pono eam à me ipso &c. Nihil ergo proficiunt Sociniani hoc suo Achilléo argumento: Si absurdum est, unum pro altero, ne dum pro omnibus mori, sequitur quod nobis pereuntibus justitiae divine satisfieri non potuerit. At verum prius E. & posterius, Socinus P. 3. c. 3. de Servatore multus est

in deducendo hoc argumento. Enervabimus hoc argumentum paulò post: Ajunt: *Iniquitatem summam esse, hominem sibi Charissimum & innocentissimum, sine necessitate, tot tantisque suppliciis afficere. Ita iterum Socinus rationis suæ mancipium.* At in *Socini* sociorumque sententia multo major hæc indignitas cernitur, quia minor necessitas & utilitas apparet. Ostendimus nos multis *necessitatem mortis Christi* ex qua fluit utilitas maxima, *rum* quia publicum commune necessariò requirat, ne peccata impunita manerent, & sic justitia, veritas & sanctitas Dei læderetur: *rum* quia præter peccatorum remissionem ex morte Christi infinita & innumera bona in hac & futura vita in nos promanarent, ceu ostendimus suo loco. Talis ergo necessitas & utilitas summa, nihil indignitatis & injustitiæ penes se habet. Sed vereor ne *Socini* assertio suspicionem indignitatis alicujus (si aliqua hic comminiscenda) ferat. Quæ enim insignis necessitas & utilitas secundum ipsum & a seclis fuit mortis Christi? hæcine ut confirmetur nobis promissiones, *securi* reddamur de Dei erga nos voluntate, &c. Atqui talis confirmatio *neq;* necessaria, cum miraculis multo magis veritas Dei promissorum confirmata fuerit; *neq;* insignem utilitatem hominibus adferebat cum aliis multis documentis hominibus constare potuerit. Ad *argumenta Socinianorum* respondemus 1. negando absurdum & tyrannicum esse unum pro altero mori, 2. non injustum nec crudelitatis esse Christum propter peccata nostra punitum esse. In genere præmittimus ex *Grotio cap. 4. de satisfact.* non hoc quæri, an cuilibet judicis, cuivis pœnas quascunque alieni criminis liceat infligere. Nam judicibus inferioribus Lex superiorum hanc potestatem adimit, *neq;* hoc etiam quæri, an summæ inter homines potestati in quavis pœna, & in quemvis hoc ipsum liceat. Obstat enim interdum aut lex divina, aut naturalis ratio. Sed hoc proprie quæritur: an actus, qui sit in potestate superioris, etiam citra considerationem delicti alieni, possit ab ipso superiore ordinari in pœnam delicti. Hoc injustum esse negat Scriptura, quæ Deum hoc fecisse sæpius ostendit, negat aperte natura, negat consensus Gentium, quem tamen impudenter negat *Socinus*. Apud *Persas* antiquitus, ob unius noxam peribat propinquitas teste *Marcellino*. Apud *Macedones* devota erant capi-

ta eorum qui sanguine perduelles contingerent. In *Græcie* civitatibus mos fuit, cum tyrannis, tyrannorum liberos occidi. *Romane historiae* docent multos vicariam mortem obiisse e. c. *Decius, Curtius, Curii, Horatius, Codrus &c.* his exemplis quidem alius pro alio non punitur, neque etiam satisfacit; hoc tamen exinde sequitur, non simpliciter à regula *Iustitiæ* deviare, si quis pro alio moriatur, & particula *pro* non tam *commodum*, quam *vicem* notare, *Meisner. Anthropol. Disp. 26. p. 264. Josua Siegmann. Photinianis. p. 678. Confer Essen. de Satisfact. l. 2. c. 6. p. 546. seqq. & Samuel Ward. Determinat. Theolog. ubi multis deducit Deum punientem personam conjunctam pro persona peccante jure suo uti, p. 39. & cum Christus nobis jungatur conjunctione voluntaria qualis est inter fidejussorem & reum, non injustum nec tyrannicum dicendum esse. In *Codice Sacro* non desunt exempla. Propter inobedientiam *Achan* tota familia ejus & populus *Israeliticus* punitus est, *Jos. VII, 24. & XXII, 20.* Propter peccatum à *Core, Datan & Abiram*, commissum, absorbet vorago omnem substantiam eorum, præterea multos cum illis, ita ut quatuordecim millia hominum, & septingenti perierint absque his, qui perierant in seditione *Core*. Adde, *innocentes infantes* ab *Herode* occisos, *filiolum Davidis, filios Saulis* qui suspensi sunt, & eo ipso est placatus *Dominus 2. Sam. XXI. 12, 14.* Licet non fuerint per totum *innocentes*, non tamen culpæ & tyrannidis *Saulis* erant participes. Ad quæ loca nil aliud regerere possunt, quam ut concedant *Ezechielis* regulam *Cap. XII. 10.* interdum pati exceptionem. Denique lapsus *Adæ* imputatur omnibus posteris *Rom. V, 14.* nulla hic tyrannis nulla injustitia E. Tyrannidis non potest *Deus* argui, quod propter peccata nostra volentem *Christum* plectere voluerit. De loco *Ezechiel. XII. 4. 20.* anima quæ peccarit, ipsa morietur, qui non favet *Photinianis*, mox. In fumum abeunt *Socini* argutationes. Dicit: *Nemo tenetur pro alio Satisfacere E. nos ipsi Deo pro peccatis nostris satisfacere debuissimus. Resp. Debuissimus utique, sed non possumus, qui quotidie debitum augeamus. Deinde dicimus: Possit fieri ut aliquis se ultrò & spontè offerat ad satisfactionem pro nobis Esai. LIII. 6. Deus conjecit in eum (Christum) iniquitates nostras 1. Petr. II, 24. ipse pertulit peccata**

cara

cata &c. *Rom. IV, 15.* Traditus est. Licet ergo Christus nulla lege tenebatur, ultrò tamen se constituit vadem & Sponsorem *Matth. XX, 28.* *1. Timoth. II, 6.* Falsum est, nos Deo nil debuisse; debuimus enim ipsi mortem, quam Christus pro nobis etiam luit, quod Scriptura docet, ut & nos per hanc mortem Christi Deo reconciliatos esse *Rom. V, 10.* Reconciliati sumus Deo per mortem filii sui *Rom. III, 15.* quem proposuit &c. Pergit *Socinus*: Mors unius, sive alia quæcunque corporis Vexatio, alterius effici non potest, Falsum hoc esse jam ostensum; Mors, sanguis, obedientia Christi fiunt nostra. Nullum est denuò illud *Socini*: Neque unquam vel lege vel consuetudine receptum fuit, ut poenam, quam quis corpore luere teneatur, alius, quisquis tandem ille sit, pro eo pendere possit. De hoc paulò ante. Sed quis dixit Christum ex consuetudine aut lege pro nobis mori debuisse? Nos dicimus præeunte Scriptura: Christum nulla lege vel consuetudine adactum hoc sponte & ultrò fecisse, negabisne Christum sponte & ultrò hoc facere non potuisse? atqui sic contradices scripturæ *Esai. LII, 10.* *2. Cor. V, 16.* *Joh. X, 14.* *Johann. XII, 15.* quæ dicit Christum pro nobis Sponte esse mortuum. *1. Petr. II, 21.* *Esai. LIII.* pro nobis pœnas sustinuisse, mortem. Sit hoc, non esse lege vel aliqua consuetudine receptum, ut quis pro altero corporales pœnas luat. Nihil aliud quam hoc ex illatione sequetur: neminem (judicia humana respiciendo) teneri pro alio corporales pœnas luere, & si iudex innocentem violenter rapiat invitum ad mulctam, & supplicium, pro altero, injustè agere, Non tamen locum hoc in præsentis negotio habebit; iudicium enim hoc non est humanum iudicium, neque invitus raptus est Christus ad supplicium. Oggannit *Socinus*: injustus est, & immanis ille, qui nocente dimisso innocentem occidit. Sed quid dicendum de illo, qui innocentem propter nullum omnino scelus supplicio afficit? Christum fuisse innocentem, & purum ab omni peccato vel pueris ex Scriptura notum est, & simul tamen eadem Scriptura testatur, eum consilio Dei in mortem traditum esse, quomodo hoc salvam justitiam facere potuit, si Christus NB. non ut sponsor noster pro peccatis nostris mortem obiit? Nondum cessat *Socinus* injuriosus esse in Deum, dicit: Si Deus bonitatem & liberalitatem suam exercere in homines voluisset, cur non potius gratuito ut potuit quidem scelerata

*lera hominibus condonavit?* Resp. A posse ad esse non valet consequentia. Multa Deus potest quæ tamen non vult. Deinde ita potentia Dei extollenda est, ne tamen justitia & veritas ejus negetur. Constituit Deus hominem punire si præceptum transgressus fuerit. *Genes. II, 17.* morte morieris. *Dent. XXVII, 26.* manet immobile decretum, quod in homine sed non *puro* executus est filio suo, qui pro nobis omnibus mortis pœnam subiit, *respectus rectoris & judicis supremi* in hoc negotio sæper observandus. *Stulta vindicta ea & punitio esse videtur Socino,* peccantes dimittere, enim vero qui nihil mali commisit gravissimis pœnis subicere. Tale quid non pro manat ex rigore legis, sed Evangelium revelat nobis talem benignitatem. Peccarat homo, mors ei luenda erat, poterat is mortem luere, non autem perluere, hoc est, non poterat pœnam finire, perpetuo enim mors eum sibi detinisset. Deus liberare volens hominem & eruere e morte æterna, submitit filium suum, ut is lueret & perlueret. Declaravit in hoc facto Deus suam *justitiam & misericordiam,* *Justitiam* quidem, quod peccata à genere humano commissa vindicavit in charissimo suo filio Spontaneo fidejussore & Sponsore nostro; *Misericordiam;* nostri enim misertus, filium suum nobis dedit, ut pro nobis satisfaceret. Locus *Ezech. XIX, 4. 20.* non probat id, quod quidem ex mente Socinianorum probare debebat. Dicimus I. Regulam illam esse *stricti juris,* quæ tamen nihil derogat æquitati & moderamini *Præcipuas* in Evangelio patefactæ: ut ergo lex non tollit Evangelium; sic legales sententiæ non sunt opponendæ Evangelicis. *Ordinarie* fanè Deus propter peccata punit hominem; at *extraordinarie* potuit talis & tantus homo, qualis Christus fuit, *Ἰεσὺς Πρωτοτύπος,* innocentissimus, Spontaneus fidejussor pro nobis à Judice supremo puniri, qui justitiam suam plane mutare non poterat nec volebat, benè tamen ejusdem rigorem mitigare. *Stricti juris* erat in V. T. ut quælibet anima pro suo peccato moreretur, sed quando Deus animam pecoris pro anima acceptavit, rigor ille temperamentum admisit *Levit. XVII, 11. 2.* Regula divina *Ezech. XIX.* loquitur de *peccato personali,* propter quod homo non punitur pro alio; Dei tamen filius ex decreto Patris pro peccato universalis totius mundi mortuus est. 3. Si Sociniano.

nianorum interpretatio obtinebit, ipsi sibi contradicent, statuentes: Etiam si Christus non peccarit, traditum tamen esse in mortem pro hominibus. Eadem ratio etiam est loci *Deuter. XXIV, 16, & 2. Reg. XIV, 6*, ne morte afficiuntor patres pro filiis. Distinguendum 1. iterum inter regulam *ordinariam, & extraordinariam*, 2. Inter *pœnas* quas *Deus* hominibus infligit, & quas *Magistratus Dei* nomine irrogat &c. Vide *Meisner. Anthropol. p. 263. seqq. Balduin. refut. Catech. Racov. p. 407. Josua Stegmann. Photinianis. p. 677. seqq. Calov. Socinianis. p. 476. Gerh. in Deuter. 24. p. 1484. Ward. determinat. Theol. l. c. p. 39. f. Sibr. Lubbert. l. 3. c. 3. de Servatore. Grot. de Satisfaction. cap. 4. Essenium lib. 2. cap. 6. toto contra Crellium. Alting. L. C. P. 2. p. 562. De propositione illa: Nemo moritur nisi pro peccatis suis vel alienis vide *Sibr. Lubbert. l. 3. c. 8.**

§. XCV. Impiam nostram de Satisfactione doctrinam esse frustra hætenus conati sunt probare Sociniani, ex eo, quod illa le-  
dat *Dei benignitatem, justitiam & ex Deo justissimo iniquissimum faciat tyrannum*, diluimus hanc calumniam. Impiam tamen clamando pergunt nostram esse doctrinam, quod *potentiam Dei* labefactet. *Ostorrod. c. 36. Instit. & P. 3. judic. contra Tradel. Socinus P. 3. c. 1. Volkcl. l. 5. c. 20, 22. de vera Religion. Gittich. p. 3. Sic infert Gittichius: Offensas suas vilissimus quisque homuncio non modò sine violatione justitiæ, sed etiam cum maxima laude patientiæ, misericordiæ, bonitatis &c. alteri condonare potest. E. multo magis Deus sine ulla Satisfactione nobis remittere peccata nostra poterat: aut si non poterat, minus potest quam levisimus homuncio. Socinus loco citato 12. rationes conglomerat quarum refutat. Vide in Disp. 17. Franz. de Sacrificiis. Affelm. de merito Chr. th. 8. apud *Sibr. Lubbertum, Essenium, Grotium & quæ jam diximus. Hoc dilemmate putat Gittichius magnum acceptilationis suæ subsidium se obtenturum esse. Sed quid si dicamus non voluit, non potuit, salvâ justitiâ sua vindicativâ Deus offensam sine Satisfactione condonare; noluit, probat hoc universa Scriptura quod Deus peccatores in gratiam recipere noluit absque omni Satisfactione. Quia verò omnes prævaricatores vult actu post peccatum maledictos esse, utique iis non potest non indignari, quia verò hæc offensa placanda est, si cul-**

pa condonari debet, à nullo verò hominum id præstari poterat, hinc filio suo non pepercit, ut divinæ justitiæ suæ satisfaceret. Audi *Augustinum de agone Christi*: Omnia Deus poterat si voluisset: „Noluit autem, idque justa de causa, etiamsi nobis ignota, & incomprehensibilis sit. Sed etsi aliter faceret, æque tamen stultitiæ vestræ displiceret. Apprimè hoc quadrat in Socinianos. *Et sermone 3. de Ann. Domini.* potuit aliter fieri, quantum ad potentiam „Medici (intellige hic modum Satisfactionis, non exclusâ Satisfactione) Sed non potuit commodius, aut doctius præparari, ut esset „medicina ægroti &c. *Non potuit sine Satisfactione peccata Deus condonare; Natura enim ejus purissima, & perfectissima, omne peccatum adversatur. Psalm. V. Justitia ejus est immutabilis, insuper verax est Deus, dixit Genes. II, 17. morte morieris Deuter. XXVII. maledictus qui non permanserit.* Quo ipso ne hilum quidem decedit omnipotentia ejus, quemadmodum certè nil decedit, quando piè dicitur Deum mentiri, peccare, mori, fallere, non posse; Nam omnipotentia divinæ objectum (uti bene monet *D. Meisner. Anthropol. p. 293.*) non est res quævis, sed illa tantum, quæ Dei naturæ & voluntati non contrariatur; Cætera magis impotentiam, quam *divinam* arguunt. *Non potuit Deus absque Satisfactione salvare, non propter defectum potentia, quam cogitare non debemus; sed propter perfectionem naturæ.* Si sola gratia & jure absoluto Deus potuisset remittere peccata, quam rationem daturi sunt Photiniani, cur absque sanguinis effusione non possit fieri remissio peccatorum? Sed in eo vehementer decipiuntur, quando putant Deum in hoc negotio considerandum esse, *ut creditorem & partem offensam cum quibus facit Ravensperg ap. Voss. in Resp. ad judic. Ravensperg. c. 26.* quamvis enim DEUS omninò sit *pars offensa*, hic vero non ut talis spectatur, sed considerandus est ut *Rektor, & judex Supremus.* Pluribus hoc tractat *Grotius de Satisfact. cap. 2. & Essen. contra Crell. l. 2. c. 4. Camero. Oper. p. 362. Confer Feurborn. synt. 1. p. 763, Meisner. disp. 16. Anthropol.* Brevibus sic habe: Deus hic non spectandus est ut *judex præsertim inferior sub lege constitutus*; talis enim nocentem non potest à pœna liberare, etiam pœnam in alterum transferendo, quia id præter

præter



præter legis formulam fit, cujus ipse minister constitutus est. Sic enim *Lactant. cap. 19. de ira: Index peccatis veniam dare non potest, qui voluntati servit aliene: Deus autem potest, quia est legis suæ disceptor, & Index, quam cum poneret, non utiq; ademit sibi omnem potestatem, sed habet ignoscendi licentiam.* Nec etiam accuratè loquendo ut pars offensa, vel creditor in hoc negotio Deus considerandus est. Adversarii volunt omnem partem offensam esse pœnæ creditorem atque in ea tale jus habere, quale alii creditores in rebus sibi debitis, Deumque hic spectandum ut partem offensam, & absolutum Dominum, qui nulli potestati subfit. Sed pars offensa si jus spectetur, quod contra offendentem habet nihil aliud est nisi creditrix ad damni restitutionem, quare quod creditori quâ tali competit, etiam parti offensa, quâ creditrix est, competet: hûc autem jus puniendi non pertinet, neque Dominus qua talis jus in pœnæ habet. Punire non est actus competens parti offensa quâ tali, alioquin oporteret omni parti offensa per se competere jus puniendi. Spectandus est Deus ut princeps, & Rector. Interim non negamus Deum etiam dici posse suo modo partem offensam sed punire, aut impunitum dimittere ei tribui quatenus pars offensa est negamus. Princeps læsus se vindicat non ut læsus, sed ut princeps. Principis, & Rectoris partes jam sunt 1. ne delictum patiatur abire impune. 2. pœnæ modum statuere atque dispicere, & excogitare vias, & rationes quibus quidq; commodè & convenienter fieri possit & debeat: v.g. plures sunt modi quibus delictum puniri potest, puta vel in ipsius delinquentis vel in vadis persona; Quâ publicus est Magistratus, si juris æquiq; amans, legumq; custos, exiget ille (& quidem necessariò) satisfactionem, ne leges impunè violentur. At quatenus est privatus, privato damno, vel injuria affectus, quia est vir bonus & mitis, dabit ipsi fidejussorem solvetq; mulctam: Sic idem placatus erit simul, & non placatus, sed diverso respectu. Non placatus quatenus exigat mulctam, & satisfactionem, quam exigere tenetur quâ Magistratus; placatus autem, quatenus ut privatus fidejussorem dat, & mulctam solvit. Porrò cum Rector statuit pœnæ modum quo legibus & justitiæ satisfiat, per vadem, eò satis ostendit se non ferri privato vindictæ affectu in peccato puniendo sed amore tantum & zelo justitiæ. Itaque placatus est ille simul & non placatus. Placatus est quoad privatum affectum, non placatus quatenus legum custos,

stos, juris & æqui amans & studiosus. E. g. filius Judicis incurrit in  
 mulctam, *judex non potest condonare mulctam* salvâ legum authorita-  
 te, potest tamen *excogitare modum* quo mulcta solvatur, & filius ab-  
 solvatur. Quatenus ex privato affectu excogitavit solvendi modum,  
 & mulctam solvit, eo se ostendit *placatum*, vel saltem *non iratum*;  
 quatenus verò *exigit* solutionem, quam pro muneris ratione exigere  
 tenetur *non est placatus*. Cœterum privati affectus non pugnant cum  
 amore *juris & æqui*, quo volumus satisfieri pro peccato, neque *jus*  
*publicum* prohibet quo minùs interventu Satisfactionis delictum ex-  
 pietur, legum authoritas maneat illibata, affectibusque privatis locus  
 sic detur: prohibet tantùm eos affectus privatos qui excludunt Sa-  
 tisfactionem. Jam verò ut hæc ad rem, hoc est ad Christi Satisfactio-  
 nem, accommodentur, dico: *Deum nos non odisse eo genere odii, quo*  
*homo hominem ex damno accepto, aut injuria illata odit; Deus enim nul-*  
*lam à nobis privatam accepit injuriam, peccatis nempe hominum non ladi-*  
*tur, aut damnum ullum pati vel accipere potest.* Itaque cum peccatum  
 punit non punit studio & animo vindicandi, aut desiderio damnum repa-  
 randi, sed ideo tantùm, quia vindex est juris & æqui, mundi, Rector;  
 odiumque Dei nihil aliud est quam amor justitiæ. Quare respectu  
 juris & damni (ut ita dicam) privati Deus nunquam fuit hominibus  
 iratus, hoc respectu fuit potius semper illis placatus, atque ex innata  
 bonitate propitius, & propenso erga eos affectu. Iratus tantum fuit,  
 respectu juris publici, cujus est assertor, & vindex quâ mundi Rector.  
 Jam verò qui sic offenditur quia nullo damno privato afficitur, non  
 ob privatas ullas injurias, sed propter *bonum publicum* offenditur, po-  
 test ipse satisfacere, quia quod satisfacit, publico satisfacit, non sibi,  
 ut privato. Cum itaque duæ sint Rectoris partes (ut dictum) Deus  
 quatenus est mundi Rector, debuit necessariò peccati pœnam exigere,  
 & potuit quâ sapientia est præditus, invenire modum satisfaciendi,  
 pœnamque in vadem transferendi, quem vadem ex ingenitâ boni-  
 tate, & visceribus misericordiæ motus est, ut nobis daret. Hoc pacto  
 respectu juris, & damni privati (quod nullum Deus pati potest) pla-  
 catus fuit Deus (quia nunquam hoc respectu iratus fuit): sed quia  
 obstabat *jus publicum* (cujus est custos, cujusque solummodò respectu  
 nobis irascitur) quo minùs peccatum abiret inultum, pro sapientia,

& libertate sua *modum satisfaciendi*, & invenit, & constituit, ut sic simul & justitiæ, & misericordiæ locus esse posset. Sed ne *Politice* quidem verum hoc est, nam pro uno captivo Rege, omnes sæpe captivi liberi dimittuntur, nedum *Theologicè*; clarè siquidem Apostolus 2. Cor. V, 15. Si unus pro omnibus mortuus est, &c.

§. XCVI. VI. *Absurditatis & impossibilitatis arguunt nostram doctrinam*. Impossibilem ajunt talem Satisfactionem esse ut & absurdam 1. *quia pœna capitalis non potest transferri ab uno in alterum, &c.* sed de hoc jam dictum. 2. *quia unius morte pœna omnium redimi nequeat*. Absurdum & ridiculum hoc est *Socinianis*. Absurdum est rationi, non verò fidei. Nonne unus *serpens æneus* suffecit pro sanandis plurimis hominibus, *ex ordinatione divina*. Nonne *hircus emissarius* suffecit pro exportandis in desertum hominum peccatorum peccatis, cur ergo non una mors *Jeavθρωτων* suffecisset, pro peccatis totius generis humani? Vid. *Franz*, disp. 18. de Sacrificiis, §. 6. *Stegman*, *Photin*, p. 681. *Alting*, L. C. p. 563. 3. ajunt: *quod nec Deo ψιλῶ nec à creatura ψιλῆ nec à Jeavθρωτων præstari potuit, illud esse impossibile sed Satisfactio, &c.* Negatur minor, abunde enim aliàs probatur à *Jeavθρωτων* præstitū. Instant *Photiniani*: si Deus satisfecit, sibi etiam satisfecisset. At hoc absurdum &c. *Distinguendum inter injuriam privatam & publicam*, hoc modo Deus sibi satisfecisse dicitur, quatenus compensatur seu reparatur *injuria publica*. In justitia humana, si quis incurrit in multam, potest Magistratus pro eo solvere multam, ut legibus satisfiat, cum agitur de *reparatione boni publici*, potest sibi aliquis satisfacere quâ Judex & Rex. Ipse Deus nos sibi per Christum *Jeavθρωτων* reconciliavit, 2. Cor. V, 18, 19. Christus sibi ipsi satisfecit, dum Deo satisfecit, quia ipse est Deus, & pater quodammodo sibi satisfecit non quidem *patiendo* in sua persona, sed filium ad patiendum *mit-tendo*. Hinc non tantum dicitur in Scriptura, quod *Deus nos sibi reconciliaverit in Christo*, 2. Cor. V, 18. sed etiam, quod *Christus nos reconciliaverit Deo*, Rom. V, 10. Absurdum videtur rationi cœcæ, aliquem *offensum sibi satisfacere posse*, nos grato animo singulare & maximum hoc beneficium esse agnoscimus. Argutè & concisè *Augustinus de fide ad Petrum cap. 2*. Unus Christus Sacerdos, per quem sumus reconciliati, *templum*, in quo reconciliati, *Deus* cui reconciliati. Vide

Fener-

*Feuerborn. l. 1. p. 685, 712, 731. Meisner. Anthropol. disp. 16. p. 272. Affelman. de merito Christi theor. 12. Camero in op. 361. Ad uberiorem horum intelligentiam faciunt, de quibus monet D. Meisner. p. 170. Anthropol. Deum Patrem octo circa salutis negotium præstare 1. missionem Filii, 2. arctissimam Patris & Filii conjunctionem, 3. alieni meriti acceptationem, si stricto jure nobiscum agere voluisset Pater, pœnas à nobis in alium derivari nō permisisset. 4. ulterioris satisfactionis intermissam exactionem, nulla nostra opera postulat, 5. verbi & Sacramentorum concessionem, 6. fidei infusionem, 7. gratuitam imputationem, 8. conservationem usque ad finem vitæ, & subsequentem glorificationem. 4. Absurdum fingunt Photiniani: Major, inquit, fuisse Dei misericordia quam Patris. Catech. Racov. p. 263. Ostorrod. 213. Instit. & Judic. contra Tradel. P. 3. c. 1. p. 213. Resp. Nulla hic dissensio vel oppositio in personis divinis fingenda est, cum utriusq; sit una misericordia, justitia, essentia, una voluntas. Quamvis filius Dei solus pro nobis passus sit, ipsum tamen reconciliationis opus toti Trinitati convenire; est enim opus ad extra vide §. 56. Lombardi verba sunt l. 3. dist. 19. Reconciliavit nos tota Trinitas virtutis usu scilicet, dum peccata delet, sed Filius solus impletione obedientiæ, vid. Feuerborn. l. 1. p. 578. Meisner. Anthropol. p. 170. Gerb. de justificat. §. 478. Hutter. L. C. p. 432. Franz. disp. 18. de Sacrificiis. §. 8. Alting. Catech. p. 222. Mares. select. disp. p. 588. 5. Absurdum esse ajunt, statuere: Christum homines per mortem reconciliasse; cum justitiâ, vitâ, & actionibus Christi possint homines justi constitui. Resp. Si justitia vitæ totaliter satisfacere potuisset, necesse non fuisset, ut Christus moreretur, sed hoc negatur fieri potuisse. Ut ergo esset satisfactio perfecta, Deum per omnia nobis placans, necesse fuit, ut ad justitiam vitæ accederet mors Christi. Non ergo divellenda sunt mors, & justitia Christi. Ad satisfactionem, inquam, necesse fuit, ut Christus simul & sanctissimus esset, & mortem oppeteret. 6. Absurdum hoc inde secuturum esse ajunt: quod Christus pœnas æternas subierit, que nunquam desissent, indignissimum autem hoc esse de Christo asserere; cum mors gehennalis & æterna cum desperatione conjuncta sit, Ostorrod. Instit. Judic. contra Tradel. p. 214. Volkel. & Socin. loc. cit. Catech. Racov. p. 263. Respondetur communiter: distinguendum esse inter mor-*



tem

tem æternam essentialiter, & accidentaliter consideratam, priori, non posteriori modo Christum mortem æternam subiisse, dolores scilicet, & cruciatus infernales, quos singulis momentis totos & integros sentiunt damnati, *perpetuis verò doloribus infernalibus* non subjiciendum fuisse Christum; corruptionem enim videre & in inferno manere non debebat, *Psalm. XVI, 10.* Non acquiescunt adversarii, sed urgent porro: *pœnam quam nostris peccatis fueramus promeriti, fuisse non tantum mortem essentialiter sed etiam accidentaliter, & ratione durationis æternam.* Ad hoc respondetur: potentiâ omnem mortem dici æternam & sic Christus subiisse potentiâ mortem æternam, h. e. *perpetuò durabilem, intensivè hos dolores toleravit, non extensivè.* Urgent porro adversarii: *Nos non tantum potentiâ sed etiam actu æternas pœnas promeritos esse.* E. Christus satisfaciendo pro nobis etiam actu æternas sentire debuisse. Ad hoc respondemus: Distinguendum inter mortem æternam *duratione, & æternæ durationi aequipollentem.* Christum quidem actu non sensisse mortem æternam *duratione æternam,* nihilominus tamen ipsius passionem, & mortem habuisse infinitum pondus ob dignitatem personæ & pretii infinitatem, quia fuit passio *Ἰεσοῦ Ἰσρωῦ.* Ad hoc multa excipit Socinus *P. 3. cap. 4. 1.* Non esse *acceptationem personarum apud Deum.* Resp. Ita est, quomodo verò meritum Christi in nostra salute respiciat Pater, explicat Scriptura *Rom. IV, 24.* per redemptionem Christi à Deo nos justificari, per sanguinem Christi purgamur, *1. Joh. I, 7.* per mortem Filii Dei reconciliamur *Rom. V, 10.* Non moramur simile, quod 2. producit his: *Numquid si vir princeps unius horule, aut diecula exilio, vel carcere mulctetur idem erit, ac si homo plebeius perpetuo exilio, vel carcere mulctatus fuisset.* Scripturæ Sacræ, & non rationi cœcæ insistentes, discimus, *1. Petr. III, 18.* Christus *semel mortuus est pro injustis, semetipsum ad destructionem peccati per hostiam apparuisse, Ebr. IX, 26.* semel introivisse in *sanctis, v. 12. Rom. V, 19.* unâ oblatione consummatos esse sanctificandos. Et quamvis Christus 3. non desperarit; pœnas tamen infernales gustavit; neque etiam *desperatio est pœna damnandorum sed adjumentum,* adeoq; in Christo abesse potuit: Ideò non in desperationem ruit, sed *luctatus est cum desperatione, à qua nullo modo victus est.* Pontificii quidam statuunt in Christo desperationem, *Ferus in c. 27.*

*Matth.* sed in Christo ex sensu derelictionis, nulla secuta est desperatio, quia (verba sunt *D. Dorsch. P. 1. Theol. Zach. cap. 8. §. 169.*) in eo fuit scientia summæ connexionis per unionem personalem, fuit scientia summæ suæ sanctitatis & innocentia; non fuit conscientia proprii sui peccati, *2. Cor. V, 21.* non existimatio impossibilitatis consequendi desideratam liberationem, non fuit intermissio conatus gloriæ æternæ consequendæ: non fuit falsa opinio intellectus. Cœtera quæ adfert *Socinus* levia sunt, neq; prolixiorum refutationem merentur, cum aliàs ab aliis id factum. Vid. *Refut. Catech. Racov. Balduin. p. 408. Franz. de Sacrificiis disp. 17, th. 116, seqq. Meisner. Anthropol. p. 274. Feuerborn. Synt. 1. p. 663, 676. Gerb. de Justificat. §. 477. Dorsch. P. 1. Theol. Zach. §. 140, 141, 142, 160, 161. Josue Stegman. Photinianis, ἐπιπέρι. 4. p. 681. D. Calov. Socin. p. 475. Sibr. Lubbert. de Servat. l. 3. c. 4. Essen. de Satisfact. contra Crell. l. 2. c. 9. p. 602, 608. VVren. refut. Catech. Racov. sect. 55. §. 10. Maccov. Volum. Thes. Theol. P. 2. disp. 12. Alting. L. C. Part. 2. p. 563. & explicat. Catech. p. 224. Smiglec. refut. nov. Monstr. p. 168. f.*

§. XCVII. Demum VII. ajunt Photiniani nostram doctrinam de vera Satisfactione Christi esse perniciosam, præbere occasionem ad flagitia, securitatem desides facere; jam verò *Tit. II, 24.* dici Christum semetipsum dedisse, ut redimeret nos ab omni iniquitate &c. Sic *Ostorrod. l. c. Catech. Racov. p. 264. Volkel. l. 5. c. 22. & Socinus p. 105. & fidissimi ejus Socinuli.* Sed explōsit has nœnias & nugas *Apostolus, Rom. VI, 1. Manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit &c.* Sed respondeant sibi prius *Sociniani*, antequam à nobis requirant. Nonne ipsi remissionem peccatorum in sola misericordia Dei consistere dicunt, Nemo ipsorum hoc inficias ibit: Benè. Nos jam inferimus: *Si ex sola Dei misericordia salvamur, quæ superabundans est, quid mihi opus est rigorosâ vitâ, & cur delicias & peccata mundi fugiam, cum tamen mihi semper prostet misericordia Dei.* Sed quid sequitur? Per accidens fit, ut securi & impii peccare pergant. Ergone Satisfactio Christi erit in causa? Sic omnia quibus abutitur homo vitiosa erunt, cum tamen Deus omnia bona fecerit, *Genes. I.* Exsibilationem meretur *Socinianorum* acumen. Contrarium verum est. Nonne doctrina nostra est omnis salvificæ consolationis plena, incenti-  
vum

vum pietatis, debitæ gratitudinis, detestationis peccati, *Roman. VI, 1. seqq. 2. Cor. V, 15, 16. Tit. II, 14.* vid. *Alting. L. C. P. I. p. 173.* E contrario *pestilentissimus error Socinulorum*, qui loco veræ Satisfactionis, *acceptilationem*, i. e. fictam & imaginariam, & reapse nullam substituunt, plenissimus est impietatis non tam fenestram quam *portam* aperit impietati, securitati, desperationi. Optamus illis, arenam jam egressuri, sanio rem mentem, humilitatem spiritus!

§. XCVIII. Haecenus de *acceptilationis Photiniane injuriâ* in meritum & Satisfactionem Christi. Addamus quædam de Acceptilatione Pontificia, Calviniana, Arminiana, Vorstiana, Piscatoriana, VVeigeliana. PONTIFICII cercè patrocini um suscipiunt *Acceptilationis Photiniane*, expresse statuentes: 1. *Valorem operum, & Satisfactionem Christi secundum se citra liberalem Dei acceptationem, non fuisse equivalentem*, aut sufficientem ad placandum Deum. Ita *Scotus* in 3. dist. 19, 20. & 4. dist. 19. q. 1. *Gabriel* 3. distinct. 15. q. 2. *Durandus* ibidem, & in 4. dist. 15. q. 1. art. 6, 7. *Medina* *Codic. de pœnit. tract. 3. q. 3.* Denique catena nominalium Theologor. Confessum habent inquit *Michael de Palatio* in 3. dist. 20. disp. 2. Vid. *Dorsch. Detect. Male Fid. P. p. 1181.* & *Affelman. de merito Christi theor. 6.* Hinc 2. quidam negant *actiones Christi fuisse infiniti valoris, & meriti*, quos producit & refutat *Beconus de incarnat. cap. 14. q. 1. 2.* 3. Statuunt, *Satisfactionem & meritum Christi non esse æqualem offense*, Vid. *Dorsch. l. c. 1184. s. Petav. Theol. Dogm. P. 2. cap. 9.* 4. negant Christi Satisfactionem simpliciter ad redemptionem & salutem nostram fuisse necessariam *Thomas. P. 3. q. 46. art. 1.* Potuisset Deus sine Satisfactione homini remittere peccata, cum non habeat aliquam superiorem. *Biel. 3. sent. dist. 20.* Contra vide §. nostrum adde *Gerhard. P. 1. disp. Academ. 2. §. 4. Feuerborn. Synt. 1. p. 565.* 5. *Mariæ partem redemptionis adscribunt.* *Porreus, & Ludovicus Janinus* in *Corona Augustissimæ Matris* cap. 5. habent hanc rubricam: *Maria est reparatrix generis humani. p. 137.* hæc extant: *Maria victimæ pars fuit, eodemq; igne tormentorum cum filio urfit.* Integer libertalibus flosculis scatet. *Bernardin. in Rosario: Maria virgo contrivit caput serpentis.* Huc referas omnes, qui *Genes. III. 15.* illud  pro  legentes sic in vulgata verte-

runt ipsa Maria conteret. Sed notissimis his non immoror. Vide quoad prius *Gerhard. Confess. Cathol. l. 2. spec. P. 1. p. 516. Feuerborn. Synt. 1. p. 567.* 6. Christus pro peccatis, & pœnis peccatorum non perfectissime satisfecisse statuunt, non Satisfecisse pro culpa & pœna *Ruard. Tapperus articul. 6. sic scribit: Christi meritum non mereri nomen perfectæ Satisfactionis, plenam esse Satisfactionem per sufficientiam, sed non per efficientiam. Thomas de Sacram. altaris c. 1. docet: pro P. O. iufficit crucis sacrificium oblatum, sed pro peccatis actualibus instituta sunt Sacramenta. Vid. Feuerborn. Synt. 1. p. 646. Carpzov. Isag. p. 186. VVatai op. p. 406. En novationem Photinianam.* 7. statuunt, Christum iram & dolores infernales non sensisse. *Bellarmin. l. 4. c. 8. de Christo Contrarium docuimus in superioribus.* 8. Merito Christi superaddunt merita nostra suppletoria. Impudentissime *Thomas q. 94. art. 2. Dicendum opera nostra in charitate, ex Dei gratia facta esse Satisfactoria pro pœna temporali condignè satis, sicut & meritoria vitæ æternæ, nec aliquid eis accrescere meriti aut Satisfactionis propter Christi merita. Confer Becan. cap. 14. q. 12. de incarnat. Christi Less. de instit. & jure p. 420. b. l. 2. c. 37. Dubit. 6. Rayner. de Pisis P. 3. Pantheolog. titul. 5. c. 2. seq. Audacter Bellarminus l. 2. c. 7. & 12. de indulg. per nostra Bona Opera nobis applicari prœrium sanguinis Domini. Vides hic iterum delegationem Photinianam.* At morientes in Papatu sæpissime spretis meritis alienis, & propriis in solo Christi merito mortui sunt. Vide multis hoc tractantem (ut alios jam taceam *Chemnitium nostrum, Gerhardum, Calixtum, Iohan. Hornbek. summa controvers. l. 4. p. 222. seqq.* 9. Missam, purgatorium comminiscuntur. En iterum novationem & delegationem Photinianam. 10. Negant Christum esse mediatorem secundum utramque naturam *Bellarmin. l. 5. de Christo cap. 1. & 3. Petav. T. 4. P. 2. Theol. Dogmat. cap. 3. Orthodoxia sufficienter à nostratibus asseritur. Vid. Feuerborn. Synt. 1. p. 706. Ex Calvinianis Altinus. P. 2. L. C. p. 565. Mares. diss. Select. p. 580.* „Eleganter *Chrysostomus homil. 7. in 1. Timoth. Mediator utrisque eis* „debet societate conjungi quorum mediator est: Nam quia duarum naturarum medius fuit, amborum oportuit esse participem.



§. XCIX. *Acceptilatio Calviniana* se prodit 1. ex clavis ver-  
 bis. *Bezam* ipsam ante *Socinum* voce acceptilationis ulum esse,  
 dicimus ex *VValeo*. §. 48. Assertitur acceptilatio ab ipso *Calvino* cu-  
 jus verba sunt *l. 2. c. 17. Institut.* Fateor, si quis simpliciter per se *Christum*  
 (de suo addit *VVendelinus l. 1. cap. 17. p. 684. Christian. Theolog.* secun-  
 dum solam humanam naturam passum) opponere vellet *judicio Dei*,  
 non fore meriti locum, quia non reperietur in homine dignitas, quæ possit  
 Deum promereri — Cum agitur de *Christi merito*, non statuitur princi-  
 pium, sed condescendimus ad *Dei ordinationem*, quæ prima causa est,  
 quia *mero beneplacito* mediatorem statuit, qui nobis salutem acquireret.  
*Affectas* hujus suæ sententiæ habet ipsum *VVendelin. l. c. Chamier.*  
*Panstr. T. 3. l. 9. c. 2. Musculum* cujus verba mox adducemus, *Ot-*  
*ton. Casman. in Antisocin. P. II. cap. 1. cupis verba?* Licet conceda-  
 mus justitiam punientem peccata, & misericordiam ea condo-  
 nantem, utramque scil. esse NB. liberrimæ voluntatis effectum:  
 tamen Satisfactionem pro peccatis ad condonanda ea non esse ULLO  
 MODO NECESSARIAM, non concedimus. Necessitas enim  
 Satisfactionis, de qua hic agimus est hypothetica, propter immu-  
 tabile *Dei decretum*. *Vossium* judic. contra *Ravensperg. c. 28.*  
 2. Prodit se acceptilatio Calviniana in adstructione absoluti decreti  
 sui, quamdiu enim docent Deum ex absoluto decreto quosdam ele-  
 gisse ad vitam, quosdam reprobasse sine intuitu fidei, meriti, & Sa-  
 tisfactionis *Christi*, tamdiu etiam acceptilationem statuent, neque  
 vis quædam erit Satisfactionis *Christi*. Hinc *Socinus p. 221. 227. 284.*  
*Calvinum* & propriis suis verbis refutat & *VVolfg. Musculi* locum,  
 vehementer urget *L. C. de justificat. p. 576. cupis verba?* Si Deus  
 tantum justus est iudex, & non simul misericors: vel, si sic justus est, ut  
 sine detrimento justitiæ suæ misericors esse nequeat: si sic, inquam, judiciale  
 justitiæ obstrictus est, ut non liceat ipsi quorum vult misereri & a pec-  
 catis absolvere reos, quod tamen per multos sibi principes & magistratus  
 libere permittere videmus: Consequitur, inania esse quæcumq; in Scri-  
 pturis S. de gratia & misericordia Dei leguntur: Item: Deum non  
 minus absq; Satisfactione pro nudo suo beneplacito peccata condonare, quàm  
 creditor quispiam sine minima Satisfactione debitum remittere potest. 3.  
 Prodit se acceptilatio Calviniana, quamdiu suam fictitiam ἀλλοιωσιν

Zwinglianam comminiscuntur; nam passâ tantum humanâ natura, verum, & perfectum solutionis pretium & λύτρον Pater non accipit pro nobis. Vid. *Affelmann*. de mer. Christ. theor. 5. 4. prodit se acceptilatio Calviniana, quando docent: Deum absq; omni Satisfactione hominibus peccata condonare potuisse, sic *Vossius*, *Musculus*, & quos adducit *Vossius* l.c. *Grotius* etiam huic sententiæ defert p. 58. de Satisfact. Judica an hic non obtineat illud: Calvinismus est Photinianismus inchoatus, & Photinianismus est Calvinianismus consummatus. *Gerhard*. P.2. Disp. Academ. p. 895.

§. C. Arminianos acceptilationem statuere docet *Peltius* in *Harmon. Remonst. & Socin.* p. 126. seqq. Monet tamen *D. Calovius* Disp. de heres. herum abnegantes §. 5. p. 38. & in considerat. Arminianismi, *Peltium* non satis bona fide agere Arminianis adnumerando, quos ipsi tamen pro suis agnoscere nolunt. *Welsing*. Socinianus fuit, *Slatius* ab ipsis non pro Socio habitus; categoricè ea referendo, quæ ipsi σκεπητικῶς, vel σοχαστικῶς mentem ipsorum verbis integris non referendo. Non tamen in totum eos carere culpa docuit jam laudatus author p. 218. quem adi. *Stephanus Curcellæus* Arminianus vicinus nimis est Socinianis in disert. de Vocibus Trinitat. §. 30. Cujus verba: Si per Satisfactionem propriè intelligas Christum, propriè & absq; figurâ omnium nostrorum peccatorum poenas persolvisse, & Deum id totum quod ipsi debeamus ab illo rigidè exegisse, hoc est, ut ignis æterni supplicium apud inferos subiret, dico, ejusmodi Satisfactionem Scripturæ esse incognitam. 1. Quia justitia Dei non permittebat ei, ut dimissis hominibus nocentibus, quos habebat in sua potestate, Christum puniret, qui plane innocens erat. Respondetur quidem, Christum fuisse hominum sponsorem; Sponsoris autem esse satisfacere pro debitoribus qui solvendo non sunt. Sed istud ad rem nihil facit. Sponsores enim tantum habent locum in debitis pecuniariis; sed non in poenis corporalibus. 2. Plena debiti alicujus solutio, non potest consistere cum gratuitâ ejus condonatione. Nam is cui plenè solvitur debitum, nihil prorsus de eo remittit; sed qui gratuito condonat, nihil inde recuperat. Hoc non queritur; sed tantum, an posita Christi plena satisfactione, Deus nobis gratuito condonare peccata dici queat? Quod negamus. Nihil enim de suo remitteret, sed totum quod ipsi debetur, à Christo reciperet.

Præim.

Proinde magis Christo, propter istud beneficium, quàm Deo ipsi devincti essemus: quod absurdum est. 3. Propter peccatum meriti eramus damnationem aeternam apud inferos: Christus autem eam non subiit, quò postquam aliquot horas in cruce pependisset, animam exhalavit, & tertià die gloriòse suscitatus est ex mortuis: Ergo totum id quod meriti eramus, Deo non persolvit. Negant ergo Arminiani justitiam essentialem in Deo. Negant Christum nobis promeruisse fidei collationem aut regenerationem. Christum peccare potuisse, quæ Episcopi scandalosa disputatio fuit, &c. Vide D. Calov. l. c. p. 220. seqq. Arminianism. confid.

§. CI. Vorstiana acceptilatio subinde in scriptis ejus conspicitur, in Resp. ad P. 2. discep. Slat. negat essentialem justitiam in Deo, plenam satisfactionem negans, acceptilationem reponens. Similia habet in epistola ad Heidelberg. in op. Epistol. Armenianor. p. 64. s. In epistola ad Jacob. Gryn. & Amand. Polan. p. 113. negat Christum aeternam mortem sustinuisse. Ibidem docet: Deum absolute peccata condonare potuisse, absq; omni prorsus satisfactione à quoquam accepta, quâ fini adducit Calvinum, Martyrem Musculum, Zanchium. Piscatoris dogma de obedientia activa & passiva omnibus notum est, unde patet illud non parum acceptilationem promovere. Vid. Theologos Affelm. de merito Christi, c. 1. Meisner. Anthropol. p. 173. Feuerborn. Synt. 1. p. 650, 716. Alting. L. C. p. 233. &c.

§. CII. Weigeliani non obscure acceptilationem profitentur. Sic enim in Postill. Weigel. P. 1. p. 123. Er ist auch nicht kommen dem Fleisch Adæ zu helfen/dem es nirgends zu gut. Negat Christum pro nobis implevisse legem, P. 3. p. 16. & P. 2. p. 329. Redemptionem Christi ad tempus N. T. restringit, P. 1. p. 20. Refutantur hi errores à D. Gerhard. P. 2. Disp. Academ. disp. 4. Schellhammer. Widerleg. Weigel. Postill. p. 262. Hunn. Betrachtung der Weigel. Theol. p. 521. seqq. Anabaptistæ 1. negant Christum anima sua sensisse iram Dei & pœnas inferorum Colloqu. Embd. 2. dicunt naturam divinam in humanam velut conversam esse, & sic mortuum, & sic vel veram Christi Deitatem negant, vel passionem ejus in δόκσιον Marcioniticam convertunt Jac. Outterm. resp. & Apolog. Vide Spanheim. disp. Theol. P. 2. p. 23. Et hæc sufficiant de Sectione III.

Subjungenda fuisset Sectio IV, destructio scilicet Acceptilationis Socinianæ sed exclusi tempore, eam reservabimus commodiori occasione,

DEO GLORIA.

